NOVA VARIOLIS MEDENDI METHODUS.

CUM

SPECIMINE OBSERVATIONUM MISCELLARUM, REM MEDICAM ILLSTURANTIUM.

Auctore

IOH. FREDERICO CLOSSIO,

Artium liberalium Magiſtro, Philoſophiæ ac Medicinæ Doctore.

TRAJECTI ad RHENUM,

Apud R. DE MEYERE, ET JOANN. à SCHOONHOVEN,

1766.

348482.

PRAEFATIO.

Duo ſcripta Tibi heic offero, Tuoque judicio ſubmitto, Lector Benevole. De Priori quae ſcire Te volui, in ipſa commentatione dixi. De poſteriori aliqua ante monendus es, quam legas. Inde a pluſculis annis conſcripſi obſervationes, rem medicam illuſtrantes, varii argumenti, philologici, critici, litterarii, philoſophici, pathologici, practici, *cet.* Neque vero materiae tantum, ſed formae etiam intuitu, varietatem ſum ſectatus. Aliae quippe ſunt breves, ex parte vere laconicae, nudam rem geſtam, vel obſervatam, exhibentes: aliae, ſubjecta 'Επικρίσει, longiores, ad juſtarum commentationum modulum non numquam pro-

xime accedentes. Quod ſi non omnes ſcitu neceſſaria, at utilia tamen, vel certe jucunda, continent. Singularum, inde depromtarum, Triacoſten ſpeciminis loco Tibi nunc exhibeo. De ſelectu faciendo plane non fui ſollicitus, quo verius de univerſis judicare poſſes. Quod ſi conatus Tibi meos non omnino diſplicuiſſe intellexero, operam fortaſſis dabo, ut totum opus, quod novis quotidie acceſſionibus (nulla enim dies ſine linea) collocupletatur, per partes, Poeciles medicae titulo inſigniendas, publici juris faciam, quarum ſingulis vel adcuratas et copioſas librorum, partim antiquorum, partim rarorum vulgoque neglectorum recenſiones et chreſtomathias, vel obſervationes notabiliores, ex libris non medicis collectas, vel Virorum eruditorum de celebrioribus auctoribus judicia et teſtimonia, vel ad libros, argumentum

ali-

aliquod ex profeſſo pertractantes, analecta, vel minora de morbis et remediis carmina *), quorum omnium complura ad umbilicum jam habeo perducta, inſeram. Vale.

*) Horum ſpecimen exhibet *Carmen de Cortice peruviano, remedio variolarum prophylactico, valde limitando* ſuperiori anno a me editum, de quo obiter heic moneo, *pag.* 21. *verſ.* 2 pro eo, quod editum eſt:

Et redis in vitam, cet.

legendum eſſe:

In vitamque redis, cet.

Redis enim ſyllabam ultimam longam habet, non brevem. Quod contra legem Pediam peccatum, non tam mea, quam aliena, culpa admiſſum, excuſo demum carmine, animadverti. Liceat hac occaſione etiam non nulla alia, quae propter typothetae incuriam in illud irrepſerunt, σφάλματα caſtigare. Lege

itaque *pag.* 7. *verſ.* 1. *levibus* pro *le*-*nibus*, et *verſ.* 12. *deſtituere* pro *di*-*ſtituere* : *pag.* 8. *verſ.* 1. *huncque* pro *hunc quam*, et *verſ.* 7. *quos* pro *quod* : *pag.* 9. *verſ.* 4. *quem* pro *quam*, et in *not. f. lin.* 4. *Waldſchmidius* pro *Waldſchmldius* : *pag.* 10. *verſ.* 11. *quantum* pro *quantam* : *pag.* 21. *verſ.* 3. *dometur* pro *domatur*.

NOVA
VARIOLIS MEDENDI
METHODUS.

JUVENALIS.

Numquam aliud natura, aliud ſapientiæ dicit.

§. I.

Vulgata methodo nullum, niſi ſponte, emergere ex variolis, graviter olim pronuntiavit immortalis BOERHAAVIUS *a*). Fuſe id poſtea ſolideque, uti ſolet, peculiari libello *b*) demonſtravit gratioſus et felix ille Uratiſlavienſium Medicus, TRALLES. Idem quotidiana adhuc non loquitur, ſed clamat, experientia. Ipſe, ex quo medicinam aegris facere coepi, nulla alia uſus ſum methodo, quam SYDENHAMIANA, BOERHAAVIANA, HAENIANA, niſi quod opium, a laudato TRALLESIO *c*) et Ill. TISSOTO *d*) monitus, fere ſepoſuerim, eiusque loco ſpiritus minerales acidos, ab hoc ſummo iure impenſius commenda-

 tos

a) *Aphoriſm. de cognoſc. et curand. morb. Aph.* 1403.

b) *Diſſ. epiſt. de methodo medendi variolis, hactenus cognita, ſæpe inſufficiente, magno pro inoculatione argumento. Uratiſl.* 1761.

c) *Tract. de uſu opii ſalubri et noxio in morborum medela. Sect. II. Cap. II. §. XVII. pag.* 125. *ſqq. et Diſſ. cit. §. XVIII. pag.* 95.

d) *Epiſt. de variolis, apoplexia et hydrope. pag.* 4. *ſqq.*

tos *e*) , reliquo apparatui antiphlogiſtico addiderim. Saluberrimi etiam fuerunt, quos inde percepi, effectus. Neque tamen optima methodus, adcuratiſſima quamvis diligentia adhibita, ſemper impedire potuit, quo minus aegroti vel in ſummum periculum adducerentur; vel plane, vi morbi oppreſſi, vitam amitterent. Saepius ego tunc, evidenter perſpecta Artis noſtrae impotentia, tacitus mecum optavi, ut inſitionem, cujus inſignes praerogativas ſummamque innocentiam, tot eruditi et ſapientes Medici argumentis omni luce clarioribus demonſtraverunt, in uſum vocare mihi liceret! Sed dolui, per praejudicatas opiniones, in plerorumque animis penitus adhuc inſidentes, publicam eius introductionem ſperari vix poſſe, niſi a ſummis Magiſtratibus, iure ſuo illam imperandi utentibus, parentes vel inviti liberos ſuos ei ſubjicere cogantur. Nactus interea fueram Cel. KRAUSII *f*) et Cl. MEDICI *g*) libellos, ipſam variolarum exſtirpa-

e) *Loc. cit. pag.* 43. *ſqq.*

f) *Diſſert. de variolarum exſtirpatione. Lipſ.* 1761.

g) *Sendſchreiben von der Ausrottung der Kinder-*

pationem minantes. Exiſtimabam, reperturum ibi me eſſe ſpecificam aliquam, ut vocant, antidotum, qua in principio ſtatim adhibita, imminens morbus omnis cum omnibus ſuis ſymptomatibus juguletur. Noveram enim, perſpicaciſſimum BOERHAAVIUM *h*) talis remedii posſibilitatem iam agnoviſſe, Medicoſque ad illud indagandum publica cohortatione incitaſſe: neque, ut de inventione illius deſperarem, MEADII *i*) ratiunculae me inducere potuerant. Verum mox vidi antidotum illam, Duumviris iſtis aeque, ac mihi et ceteris medentibus, adhuc eſſe incognitam, ab eorumque conatibus non alium, quam ab LEIBNITIANA *k*) hypotheſi de peſtilentia certo averruncanda, jure exſpectari poſſe eventum. Nihil igitur ſupererat, quam ut vel methodum receptam magis perficere, vel aliam, ea efficaciorem, invenire adlaborarem. Diu multumque hac de re

 co-

der-Blattern. Frankf. vnd Leipz. (*Mannheim*) 1763.

h) *Aph.* 1391.

i) *De variolis Cap. III.*

k) Hanc peculiari Diſputatione academica, Tu-

cogitanti in mentem tandem venerunt veſicatoria. Memineram, quotieſcumque haec in primo variolarum ſtadio, ob ſymptomata anomala, eruptionem praecedentia, adplicari juſſeram, tam placidum ſemper fuiſſe univerſum morbi decurſum, ut melior fingi ne voto quidem potuerit. Idem ab ſe obſervatum eſſe teſtabantur alii. Ipſe Ill. TRALLES *l*), magnus alioqui veſicatoriorum in phlegmaſiis acutis oſor, *aliquoties vidiſſe* ſe ſcribit, *quando vel vehementes convulſiones, vel ſoporoſi adfectus, ante excluſionem variolarum, incipiente, vel durante prima febre, veſicatorium popoſcerint, mitiores ſecutas fuiſſe variolas.* Perpendens deinceps curatius veſicatoriorum actionem in corpus humanum, eamque cum vera morbi indole comparans, facile mihi perſuaſi, illa ad coërcendam hujus ferociam aptiſſimum fore remedium. Nec multo poſt exoptatiſſima ſeſe obtulit methodi hujus in pluribus aegrotis experiundae occaſio. Vix di-

Tubingae 1721, habita, ſub examen vocavit celebris aetatis ſuae Medicus et Philoſophus, ELIAS CAMERARIUS.

l.) Diſſ. cit. §. XXII. pag. 115.

dici poteſt, quam egregie illa ſe geſſerit. Omnibus enim, adultioribus, aeque ac junioribus tam innocentes prodierunt variolae, ut cum ipſis inſititiis de palma contendere poſſe viderentur. Necdum tamen haec experimenta, utut ſatis numeroſa, confirmandae methodi efficaciae abunde ſufficere reputavi. Fuerat enim, ne quid disſimulem, temporis illius epidemia admodum benigna, et perpauca funera ex variolis in rationem Libitinae venerant. Unde ambiguus quodam modo haeſi, utrum variolarum iſtarum innocentia epidemiae ingenio, an methodo adhibitae, potius deberetur? Graſſante igitur alia epidemia, eaque valde quam periculoſa, (multos enim, a ſollertiſſimis, methodumque antiphlogiſticam adprime callentibus Medicis ſumma cum cura tractatos, diem ſupremum obiiſſe videram) eamdem iterum in uſum vocavi, effectusque ſuperioribus per omnia ſimiles, heic quoque laetus obſeruaui. Satis liquido perſpectum nunc habens, omnia, ex variolis alias timenda pericula, per hanc methodum efficaciſſime praecaveri, nefas eſſe duxi, uſibus publicis eam diutius invidere. Neque dubito, quin ii, quibus Artis noſtrae

incrementa, et miſerorum aegrotorum ſalus, curae cordique ſunt, conatus hos meos benevole ſint excepturi.

§. II.

Dabo ante omnia pleniorem methodi deſcriptionem. Ut primum ad aegrotum aliquem arceſſor, in eoque ſigna variolarum imminentium animadverto; praemiſſa, ſi aliunde nihil obſtet, venae ſectione in brachio, utrique ſurae, antea tepida lotae, ac pannis aſperioribus calefactis probe perfrictae, veſicatorium ſatis largum ſtatim impono. Medici in uſu generoſi hujus remedii plerumque id peccant, quod illud propemodum ſolis praeſentiſſimis malis deſtinant *a*). Quotus enim quiſque veſicatoria in variolis prius adhibet, quam

a) Naevum hunc jam ante me notavit Ill. STAHLIUS in *diſſ. de motu ſanguinis, a craſi et viis non pendentibus, vitiis, prudenter tractandis. Hal. Magd.* 1709. *hab.* §. *LXIII.* Et ſapienter MEZGERUS *in Theſ. chiriatr. Syllog. VII. de veſicatoriis, Tubing.* 1679. *edit.* §. *XII.* monet: *In tempore ad haec venire, rerum omnium primum eſt.*

quam vel convulſiones, vel carus, vel alia ſymptomata graviſſima, ea vi quaſi extorſerint? Ita vero mirum non eſt, ſpem inde conceptam ſaepius decollare, et aegros nihilo ſecius fato cedere. Factum hinc eſt, ut multi veſicatoria cane peius et angue horreant, perſuaſiſſimum habentes, illa non, niſi rebus plane perditis et conclamatis, imperari. Unde conpluries parentes, vel amicos, adplicationem illorum pertinaciter recuſare audias, dicentes: *Quid miſerum aegrotum amplius diſcruciemus? Tamen ipſi moriendum eſt.* Regerens aliquando, ſalvas adhuc eſſe res aegri, nec dum praeſens ipſius cervicibus impendere periculum, id reſponſum tuli: *At dicta et facta tua inter ſe non congruunt. Quid enim veſicatorium ipſi imponerès, niſi vitae exſpes eſſet?* Equidem, quo maturius veſicatoria admoveo, eo laetiores effectus inde conſequi video. Quod enim adulto morbo conducit remedium, incipienti multo magis conducat, neceſſe eſt. Numquam igitur exſpecto, dum graviore conſurgant ſymptomata; ſed, ſimul ac febris vel leviſſima ſui praebet indicia, illico ac ſine ulla mora veſicatoria adfigi jubeo. Erunt fortaſſis, qui tutius judicent,

 il-

illorum uſum tantiſper procraſtinari, dum ipſa exanthemata in cute conparere incipiant: ſi quidem non parum ſaepe contingat, ut, variolis epidemice graſſantibus, infantes, antea nondum iſtis tentati, eadem fere ratione male habeant, qua alii, variolis correpti, ab initio habere conſueuerint, et nihil tamen exanthematum erumpat: non vanum igitur metum eſſe, ne veſicatoria minus tempeſtive adhibeantur, atque inde gravius aliquod damnum in corpus redundet. Specioſa, fateor, eſt haec objectio. Negare non poſſum, nulla eſſe variolarum imminentium ſigna, ut ſcholae loquuntur, univoca, id eſt, nulli alii morbo communia, adeoque facile fieri poſſe, ut Medicus, illas ſuſpicans fallatur. Accidit hoc aliquoties claro ſpectatoque aetatis ſuae Practico, ROSINO LENTILIO *b*), ut aegri infantes omnia variolarum ingruentium ſymptomata ipſi oſtenderent, eventu poſtea docente, dentitionis fuiſſe, quae variolis adſcripta fuerant. Idem mihi quoque plus ſemel obtigiſſe non diffiteor. Et, ut PUBLIANUM illud habet:

Cui-

b) *Eteodrom. medico-pract. pag.* 132. 133. *et pag.* 201.-204. 207. *ſeq.* 443. *et pag.* 470.

Cuivis poteſt accidere; quod cuiquam poteſt. At nolim tamen ego idcirco differre veſicatoriorum adplicationem. Excitaverat laudatus LENTILIUS *c*) uni ex aegrotis ſuis veſicas, ſed tantum abfuit, ut quidquam noxae hic inde ſentiret, ut potius in dies melius haberet. Nec meis aegris veſicatoria nocuiſſe, umquam expertus ſum. Immo, quum omnes morbos, qui variolarum initia interdum mentiuntur, ratione animoque luſtro, in plerisque ea vere utilia, in nullo damnoſa eſſe, facile intelligo. Ut multa itaque largiar, minus neceſſaria, aut ſupervacanea, non nunquam eſſe poterunt. Id vero, quemadmodum confido, a maturiori illorum uſu neminem prohibebit, qui, quanta hic polliceatur commoda, ex ſequentibus pagellis cognoverit.

§. III.

Ipſa veſicatoria ſic parare ſoleo: Sumo emplaſtri melilotini, vel alius emollientis, quantum opus eſt, idque, aceto ſcillino ſubactum, et ſuper aluta, vel linteo

c) *Loc. cit. pag.* 470.

teo craſſiori, extenſum, cantharidibus ſelectioribus, recens in pulverem redactis, liberalius conſpergo. Concinnata hunc in modum emplaſtra veſicatoria ſemper mire efficacia fuiſſe reperi: quum e contrario ea, quae ex pharmacopoliis, vel tonſtrinis, plerumque dudum jam parata, adferebantur, ſaepius vel nimis debilia, vel plane inertia, deprehenderim. Nam, uti peritiſſimus LENTILIUS *a*) vere monuit, *emplaſtra veſicatoria aetatem non ferunt; ſed virtus cantharidum ſucceſſu temporis evanida redditur.* Neque vero certior ſolum eſt, ſed citior quoque noſtrorum veſicatoriorum effectus. Quod enim a vulgaribus, etiam ſatis recentibus, vix intra duodecim, vel ſedecim horas, id ab hiſce tantum non ſemper dimidio iſtius temporis ſpatio praeſtatur. Nuda enim heic, non, ut ibi, aliis additamentis involuta atque obtuſa, corpori admoventur cantharidum ſpicula. Adcelerat quoque eorum actionem quadamtenus, admixtum emplaſtro melilotino, acetum ſcillinum. Plures quidem cum Cl. ORTLOBIO *b*) in ea verſantur ſen-

a) *Loc. cit. pag.* 1264.
b) *Exercitat. medico-chirurg. de veſicatoriis Lipſ.*

ſententia, ut vires cantharidum per illud infringi exiſtiment. Sed his experientia pariter, ac ratio, refragatur. De illa provoco ad eruditiſſimi CARTHEUSERI *c*) teſtimonium, ita ſcribentis: *Iterata Chemicorum experientia conprobatum eſt* —— —— *acida virtutem veſicatoriam pulveris cantharidum intendere. Scio quidem, nonnullos contrariam tueri ſententiam, et acetum corrigentibus adnumerare: aſt ſcio etiam, opinionem eorum experientiae repugnare, quae dudum docuit, acetum, emplaſtris veſicantibus additum, activitatem non minuere, ſed potius majorem reddere.* Et qua, quaeſo, conditione acrimoniam cantharidum mitigare poterit acetum, quod ipſum, in primis ſcillinum, per ſe jam ſatis acre eſt? Aeque profecto abſurde illi cantharides per acida manſueſcere ſtatuunt, ac veteres opium per piper rotundum et longum, album et nigrum, Zingiber, Zedoariam, pyrethrum, ſcillam, euphorbium, myrrham, camphoram, caſtoreum, cinnamomum,

Lipſ. 1696. *edit.* §. *VIIII. Acetum, ſive ſimplex, ſive ſcilliticum fuerit, eas* (cantharides) *potius deſtruit.*

c) *Fundament. mater. medic. Part. I. Sect. VII. Cap.* X. §. *III.*

mum, cariophyllos, aliaque conſimilia calida, acria, aromatica, corrigi opinati ſunt. Quin majore hi digni ſunt venia, quod, calidiſſimum opii ingenium neſcientes, ad pharmaca conclamati frigoris *d*) id retulerunt: illi autem cantharidibus vim acrem, mordacem, calidam, tantum non igneam, uno omnes ore adſcribunt. Maneat igitur, veſicatorii noſtri actionem, adfuſo aceto ſcillino, paullo celeriorem fieri. Nec nihil praeterea ad eam promovendam facit praemiſſa adplicationi ſurarum lotio et frictio. Illa quidem cavetur, ne cuti unguinoſi quid inhaereat, quod ſpiculorum aciem hebetet: per hanc autem eadem magis incaleſcit, porique reſerantur, ut liberior iſtis pateat transitus.

§. IV.

Alutam, cui emplaſtri maſſa inducta eſt, deligatione ſtrictiore in pedibus firmo. Eo magis haec neceſſaria eſt, quando febris jam ita invaluit, ut aegrorum corpus et membra ex anxietatibus, deliriis et convulſionibus impetuoſius exagitentur. Fa-

d) Utitur hac dictione MACROBIUS *Saturnal. Lib. VII. Cap. V.*

Facile enim, neglecta illa, vel laxiore facta, accidere poteſt, ut veſicatorium adfixum loco ſuo moveatur, vel plane decidat. Tunc vero plerumque non modo iuſtum effectum non edit; ſed plures etiam maioreſque aegroto dolores creat. Pluſculorum exemplorum ipſe memini, a veſicatoriis delapſis in dorſo, pectore, abdomine, genitalibus, alibique ubi forte haeſerant, infinitas veſiculas parvas, exquiſitiſſimum ardoris ſenſum inferentes, fuiſſe excitatas. Et credo, perpaucos fore Medicos, qui ſimilia aliquoties non obſervaverint. Neque vero ſtrictior tantum, ſed provida etiam, requiritur deligatio: ne aluta, deſuper conpreſſa, veſicam elevari prohibeat. Facillime id impediri poteſt encheireſi mihi familiari, quae talis eſt, ut per alutae limbum ſuperiorem et inferiorem faſciolas aptas traiiciam, quibus pedi adligetur.

§. V.

Loca, a cantharidibus exulcerata, non unum tantum alterumve diem; ſed per univerſum morbi decurſum, aperta ſervare, novaeque cuticulae generationem praepedire, ſtudeo. Id quod duobus potis-

tiſſimum modis efficio. Ubi ſuſpicor, ſuperiora veſicatoria officio ſuo nondum, quod ſatis eſt, feciſſe; emplaſtrum album coctum, vel de ſpermate ranarum, vel de minio, nunc, praeeunte Ill. WEDELIO *a*), cum aequali, nunc laudati LENTILII *b*) exemplo, cum quarta emplaſtri veſicatorii vulgaris, ejuſque recentis, parte permixtum, impono. Ubi vero effectum, ab illis editum, ſufficere poſſe intelligo; ſolam theriacam, linteo in emplaſtri modum inductam, adplico. Haec enim, quum non ſit, niſi variorum aromatum, radicum, herbarum, ſeminum, gummi reſinarum, balſamorum acrium congeries; non poteſt, quin, partes excoriatas vividius ſtimulando, continuum humorum fluxum ſollicitet. Equidem in vulneribus et ulceribus, ad ſuppurationem excitandam; promovendam, et alendam, nihil adhuc inveni illa utilius. Nec inviti aegrotorum parentes et amici, conſolidationem ulcerum propter intempeſtivam miſericordiam importunius alias urgere ſoliti, theriacae adplicationem vident, falſa illa opinione, quam lubens iis relinquo, ducti

a) *De facult. medicam. Lib. I. Sect. II. Cap. VI.*
b) *Loc. cit. pag.* 130. *et* 1264.

ducti, remedia opiata externo non minus, quam interno uſu, virtutem praeſtare anodynam.

§. VI.

Inter haec omnia illa ſapientiſſima monita et praecepta, quae SYDENHAMUS, HAENIUS et TISSOTUS, de aëre, de cubitu, ſeſſione, victu et potu ægrotantium, dederunt, exactiſſime obſervari curo. Cubicula, in quibus aegri decumbant, eliguntur quam ſpatioſiſſima, aeque, ſi fieri licet, ad orientem potius aut ſeptemtrionem, quam ad occidentem aut meridiem, converſa, quibus aër temperatus et purus omni ratione conciliatur. Numquam permittitur, ut plures homines ſimul diutule apud aegrotum commorentur, multo minus, ut lectum, in quo cubat, veluti corona quadam circumdent. Faeces, per alvum et veſicam redditae, ſine ulla mora aſportantur. Omnia ſuffumigia exſulant, quibus acetum, lapidibus candentibus, ut in vapores abeat, inſperſum ſubſtituitur. Saepius de die, mane in primis et veſperi, una vel altera feneſtra, ſimulque cubiculi janua, aperitur. Vere et aeſtate plerumque

interdiu et noctu apertae ſervantur. Caloribus magnis, pavimento et tabulatis vel frigida, vel acetum, adſpergitur, vaſaque aqua repleta, cui fraxini aut ſalicis rami virentes immerſi ſunt, hinc inde per cubiculum collocantur. Hibernis menſibus aëris tepor caminorum potius, quam fornacum, ope ſuſtentatur. Vix dici poteſt, quantum illi ſalubritatis adferant. Ignis enim luculentus in iis accenſus, ut ex vero monet Ill. PRINGLIUS *a*), perpetui ventilatoris officio fungitur. Unde, quanta in iis vis inſit ad impediendam, vel emendandam, aëris corruptionem, me vel tacente, perſpicuum eſt. Aegri ſtragulis et culcitris non obruuntur, ſed iis dumtaxat, quibus ſani conſueverant, vel levioribus etiam, teguntur. Aulaea remota manent. Iiſdem hic ſitus praecipitur, ut erectus ſit truncus crura declivia. Caput non, niſi leviſſima, tegunt, pedes autem calidiores ſervant. Quotidie, niſi aër valde inclemens prohibeat, e lecto ſurgunt, et per plures horas vel in ſella ſedent, vel in cubiculo obambulant. Infantes, non dum

im-

a) *Obſervations on the diſeaſes of the Army. Part II. Chap. III.* §. *III.*

incedere valentes, nutricum vel ancillarum ulnis geſtantur. Interea, dum extra lectum degunt, hic ſternitur, mutatur, et aëre perflatur: ipſis autem lintea pura, ſanis corporibus aliquam diu admota, induuntur. Victus eſt tenuis, minimum nutriens. Animalis omnis interdicitur. Ne tenuiſſima quidem carnium inſcula, niſi citri ſucco, vel, quod praeſtat, aceto condita, conceduntur. Hordei, vel avenae, ptiſana cum melle et nitro, poma aut pruna cocta, fere ſola porriguntur. Potui, quem copioſum eſſe jubeo, praeter ptiſanam, inſerviunt decocta ex radicibus herbiſque emollientibus et refrigerantibus, infuſa foliorum theae, vel florum ſambuci, aut tiliae, cum lacte, emulſiones ex ſeminibus frigidis, rancoris expertibus, cum ſirupo althaeae et nitro, aqua, in qua panis toſtus maduit, aqua cum lacte, lac ebutyratum, ſerum lactis, oxygala. Alvus, ultra biduum morans, clyſtere molliente, cui nitrum adjectum eſt, reſeratur. Aliis medicamentis non egeo.

§. VII.

Deſcriptioni methodi, hactenus datae, ſubjungenda nunc eſt commodorum, ex veſicatoriis redundantium, enumeratio. Quae ipſe expertus ſum, haec fere ſunt:

I. Febrem variolarum primam jugulant, vel inſigniter certe mitigant.

II. Eruptionem exanthematum promovent.

III. Eorumdem retroceſſionem impediunt.

IIII. Parciorem illorum proventum efficiunt.

V. Eadem a facie arcent.

VI. Oculos ab omni injuria defendunt.

VII. Nitorem vultus ſincerum integrumque conſervant.

VIII. Febrem ſecundam vel omnino praecavent, vel mitiſſimam efficiunt.

IX. Reliquias variolarum praepediunt.

Singula ſeorſim jam explicabimus atque illuſtrabimus.

§. VIII.

§. VIII.

EFFECTUS I.

Veſicatoria febrem variolarum primam jugulant, vel inſigniter certe mitigant.

Hunc ſtatim effectum, non dubito, quin plerique in dubium revocaturi, vel plane negaturi ſint, utpote perſuaſum habentes, in cantharidibus febrificam potius, ut ita loquar, quam febrifugam, vim ineſſe. Diſertis ſane verbis, et ſine ulla limitatione, illam ipſis tribuunt, praeter ſexcentos alios, Triumviri ſummi, BOERHAAVIUS *a*), TRALLES *b*), TISSOTUS *c*). Neque ego ipſe illam, ſat ex-

a) *Commentar. ad Aphor. 75. Miror, claros Viros adeo ſaepe veſicatoria laudare. Faciunt quippe per ſe febrem.*

b) *Diſſ. cit. §. XVIII. pag.* 102. *Si umquam in variolarum medela valent veſicatoria, valebunt unice, ubi febris torpet, et ubi e re aegri futurum erat, fortius inſurrexiſſe vitalem humorum circuitum, ad faciendam et excitandam, non ad inhibendam, febrem.*

c) *Epiſt. cit. pag.* 40. *Hae ſunt vires cantharidum —— —— febrim, inflammationem, calorem —— augent.*

expertus, inſitiari poſſum. Sed neceſſariam, conſtantem, et perpetuam eſſe, ſine audacia negare audeo. Facit mecum, niſi omnia me fallunt, Illuſtriſſimus Archiatrorum Comes, SWIETENIUS *d*), dicta PRAECEPTORIS ita molliens, ut *intempeſtive* tantum *adplicatas cantharides febrem facere* perhibeat. Et conſtat ſane inter omnes, nullius medicamenti actionem eſſe abſolutam, ſed ſemper corporum, quibus adplicatur, conditiones ſequi. Has vero non diverſas tantum, ſed plane contrarias, eſſe poſſe, itidem neminem negaturum eſſe exiſtimo. Facile itaque adparet, unius ejusdemque pharmaci adplicationem contrarios quoque, et ſibi invicem repugnantes, ſequi poſſe effectus. Neque diſtituor, quibus haec confirmem, exemplis, a memet ipſo obſervatis. Feminae, colica hyſterica et alvi obſtructione laboranti, cui laudanum liquidum Sydenhamianum dederam, mitigatis doloribus, lene ſubjuncturus eccoproticum, ſat large ex illo mota eſt alvus, excluſis multis faecibus virideſcentibus, neque altero pharmaco opus fuit. At opium tamen, uti experientiis et rationibus demonſtravit erudi-

tis-

d) *Commentar. ad eundem Aphoriſmum.*

tisſimus TRALLES *e*), per naturam ſuam excretionem alvinam retardat et cohibet. Et ipſa illa femina idem remedium, alio tempore ſumtum, re vera triduanam alvi conſtipationem peperit. Corticem peruvianum adſtringendi facultate pollere, hominem, qui ignoret, arbitror eſſe neminem. Plures diarrhoeas ipſe feliciter eo ſanavi, dirisſimamque arthritidem ex dyſenteria, illius abuſu ſuppreſſa, oriri memini. At virum habui pigrioris alvi, quae nulli, neque leniori, neque validiori, cathartico, ſed ſoli cortici peruviano, auſcultavit, continuatoque ejus uſu, ſponte tandem officio ſuo fungi didicit. Ipſae cantharides luculento ſunt exemplo. Quis, eas ſaepius dyſuriae, immo iſchuriae *f*), au-

e) *Tract. de uſu opii ſalubri et noxio. Sect. I. Cap. II. §. XIV. pag.* 143. *ſqq. et Cap. V. §. XVIIII. pag.* 273. *ſqq.*

f) *Cl. CUSSON in Ill. BOISSIER de SAUVAGES Noſolog. Method. Tom. III. Part. II. pag.* 371, Hanc iſchuriam ad nephriticam, hoc eſt, a renum inflammatione pendentem, retulit, Sequitur ergo, ut cantharides iſchuriam non faciant, niſi renes antea inflammarint. Sed perpetuum hoc non eſſe, nuper demum manifeſto exemplo didici Tonſor quidam, ultra novaculam ſapere volens, puellae, atrociſſima arthritide va-

ctores eſſe, ignorat? At vidi in hydropico ab iis, interne ſumtis, copioſisſimam excitatam diureſin. Quid? quod gravisſimam iſchuriam renalem, omnibus aliis remediis, atque ipſi adeo ſatis ſpiritui, potentisſimo alias pharmaco diuretico, nunc autem unam tantum alteramve guttulam humoris crasſi et viſcidi aegerrime provocanti, immorigeram, eodem

vaga laborantis, femoribus bina praegrandia veſicatoria adfixerat. Nata inde confeſtim dyſuria, tandem iſchuria. Tertio morbi die in auxilium vocatus, omnia quidem iſchuriæ ſpuriae, ſed nulla febris alicujus inflammatoriae, aut nephritidis, ſigna deprehendo. Jubeo aegram continue magnam lactis calidi copiam, in quo manna calabrina ſelectior et nitrum ſoluta erant, haurire. Excitatur inde diarrhoea ſeroſa, multum levaminis adferens. Prodit etiam aliquoties lotium, ſed parcum et aquoſum. Continuato remedio, ſimulque vaporis balneo adhibito, brevi morbus perfecte ſolvitur. Arthritidem poſtea debellavit napelli extractum, per duodecim circiter dies uſurpatum, ſuccedente ſcabie critica. Qualis iſthaec iſchuria? An nephroſpaſtica? Equidem ita cenſeo. Ruſticus in pago vicino, itidem arthriticus, eodem tempore ab eodem tonſore per intempeſtivam veſicatoriorum adplicationem in idem morbi genus conjectus, arceſſito alio Medico, neſcio, qua ratione tractatus, niſi quod catheteriſmum ſine ulla urinae emiſſione inſtitutum memini, nono a ſuppreſſa urina die miſerrime interiit.

dem pacto ipſe perſanavi. Quid itaque obſtat, quo minus veſicatoria, febrem aliquando ſub certis conditionibus excitantia, his in contrarium verſis, illam mitigent, vel plane profligent? Non eſt hujus loci, conditiones illas, ſub quibus febrifica evadunt veſicatoria, exponere: id quod alibi commodius fiet. Id vero heic agendum mihi eſſe ſentio, ut, quomodo febrem variolarum primam jugulent, vel mitigent, planum faciam. Requiri huc, ut cantharidum actio in corpus humanum, et febris iſtius natura, ſollicitius antea explicentur, per ſe patet. *Obſcure huc uſque dictam eſſe veſicantium actionem*, vere ſcribit Ill. TISSOTUS *g*). Quid igitur mirum eſt, quod de uſu et abuſu illorum tantus regnet inter eruditos diſſenſus, eademque in iiſdem morbis.

Laudentur ab his, culpentur ab illis? Quod ſi enim ad liquidum perducta eſſet illorum actio, ſemper adcurate et vere determinare liceret, utrum in hoc illove morbo prodeſſent, an obeſſent. Optavit hinc Ill. TRALLES *h*) *ut aliquis*

 me-

g) *Epiſt. cit. pag.* 180.
h) *Diſſ. cit.* §. *XIX. pag.* 100.

medentum eadem methodo, qua ipſe opii uſum ſalubrem et noxium ex ſolidis et ſallere neſciis principiis adſtruere laboravit, veſicatoriorum uſum et abuſum, in commoda praxeos cultioris, adſtrueret. Ceperam ego jam ante, quam haec legeram, tale conſilium, pluraque, ad indagandam cantharidum actionem, tum in meo ipſius, tum in aliis, hominum pariter, ac brutorum animantium, corporibus, inſtitueram experimenta, nec dum inſtituere deſii. Interea, quaecumque de eadem alii litteris conſignarunt, laudeſque et vituperia remedii in omni morborum genere, ſedulo collegi, et colligere adhuc pergo. Nec, ſi DEUS vitam, vires et otium conceſſerit, labores iſtos ad finem a me perductum iri, deſpero. Plenam igitur, numerisque omnibus abſolutam, actionis veſicatoriorum expoſitionem tantiſper reſervanti, ea dumtaxat illius momenta heic attuliſſe ſufficiat, quae ad praeſens argumentum explanandum quam maxime ſunt neceſſaria. Actio cantharidum neutiquam eſt phyſica, ſed mere mechanica. Epidermidi impoſitae, ſpiculis, quibus armantur, tenuisſimis et ſubtilisſimis mucum, vaſculorum capillarium apicibus circum

cumfuſum, diſſolvunt atque attenuant, remotoque hac ratione naturali illorum operculo, ductus inhalantes paullo liberius ſubeunt, et per hos ad ipſum ſanguinem deferuntur, in quem eodem pacto, quo in mucum illum, agunt, naturalem particularum cohaeſionem imminuendo, eas ab ſe invicem disjungendo, et in minores moleculas dividendo. Actio igitur veſicatoriorum in partes fluidas in hoc conſiſtit, ut majorem ipſis fluiditatem concilient. Haud obſcure jam, opinor, intelligitur, quomodo veſicatoria adverſus primam variolarum febrem conducant. Ex inflammatoriarum genere eam eſſe, apud omnes in confeſſo eſt. Jam vero in his ſanguis multo eſt viſcidior, quam in ſanitate, atque, quo viſcidior hic eſt, ſive, quo minor eſt ſeri diluentis ad cruorem proportio, eo major eſt illarum acuties. Idem ergo in febre varioloſa obtineat, neceſſe eſt. Docet id manifeſtiſſime ſanguis, e vena ſecta miſſus, pleuritico ſimillimus, cruſta alba contectus. Et, quo maturius venae ſectio inſtituitur, dum febris ſatis adhuc mitis eſt, eo tenuior et mollior cruſta illa eſt: quo ſerius, dum incendium in flammas jam erupit, eo craſſior et tenacior.

Sed

Sed *nimiae ſpiſſitudinis et lentoris teſtem* cruſtam iſtam eſſe, verisſime monet Ill. TRILLERUS *i*). Nonne itaque neceſſaria conſecutione efficitur, ut ea remedia, quae lentorem illum et viſciditatem ſanguinis diſſolvunt, optima heic ſe praeſtent febrifuga? Inter BOERHAAVIANA oracula eſt, *omnem febrem inflammatoriam illico ceſſaturam, ſi ſanguis omnis ſubito in aquam converti poſſet* *k*). Tale quid efficiunt cantharides, mixturam ſanguinis turbantes, et bonam cruoris partem in ſerum mutantes. Crebris id didici experimentis. Quotieſcumque, poſt veſicatorii adplicationem, horum faciendorum gratia, venae ſectionem iteravi, ſanguis nihil cruſtae, et cruorem, copioſe ſero dilutum, exhibuit: et idem tamen, vix viginti quatuor horis ante emiſſus, ſaepe cruſta tenacisſima obductus, ſeroque fere omni deſtitutus fuerat. Acutisſimas pleuritides una ſaepius venae ſectio, non valde larga, veſicatoriis ſimul in uſum vocatis, ſuſtulit: in malo minori ſine his vix quatuor, vel qu-

i) *Commentat. de pleuritide ejuſque curatione. Cap. II. §. XXII.*

k) Vid. Ill. TRALLESII *diſſ. cit. §. XIV. pag.* 82.

quinque, eaedemque uberrimae, profuerunt. A reſolutione igitur, non a revulſione ſanguinis, ut vulgo ſtatuunt, maxima ex parte dependet eximia illa virtus, qua veſicatoria in aliis febribus inflammatoriis, ut pleuritide, phrenitide, cynanche, *cet.* ſeſe commendant. Miror, a non nullis, tamquam rem miram, adnotatum eſſe, quod adplicationem veſicatoriorum exceperit frequentiae et duritici pulſus imminutio. Ego vero, in quocumque morbo inflammatorio illa adhibui, hoc phaenomenon numquam non obſervavi. Et quomodo, quaeſo, pulſus frequens et durus eſſe perſeveret, ubi, quae illum excitat, febris eſt imminuta? Uti vero hujus, ita etiam ſymptomatum, ipſam comitantium, efficacisſimam medelam conſtituunt veſicatoria. Sunt illa non raro periculi plenisſima, nec numquam plane mortifera. Graviora heic tantum volo, anxietatem, orthopnoeam, ſyncopen, couvulſionem, delirium, carum. Numquam haec ingruunt poſt veſicatoriorum adplicationem, et, quando jam adſunt, his admotis, brevi fugantur. Omnia enim non aliunde pendent, quam quod viſcidum illud, quo ſanguis ſcatet, per tenerrima pulmonum et cerebri vaſcula li-

be-

here tranſire non poteſt, eaque infarcit. Atque hoc diſſolvendo potius, quam torpidam naturam, cui ſymptomata iſta a pleriſque adſcribuntur, excitando, Veſicatoria heic prodeſſe, perſuaſisſimum habeo. Neque enim vere debiles ſunt vires vitales, ſed dumtaxat oppreſſae. Vulgo quidem hanc oppresſionem, ſive ſuffocationem, non, niſi a nimia humorum copia, derivant. Sed juſta etiam ſanguinis copia, immo oligaemia, ſi viſciditatem habeant conjunctam, omnibus polyaemiae effectibus excitandis pares ſunt. Ac ſane, quod *ὡς ἐν παρόδῳ* heic moneo, multum a vulgaribus Practicis peccatur, quod ſanguinem ſpiſſum et nimium vix, aut ne vix quidem, diſcernere didicerunt.

§. IX.

EFFECTUS II.

Veſicatoria eruptionem Variolarum promovent.

Eruptio exanthematum varioloſorum variis modis peccare ſolet. Nunc enim illa ultra uſitatam periodum tertii, vel quarti

ti , diei moras nectunt , nunc , protuſa jam , ſtationem ſuam non ſervant , ſed ſubinde evaneſcunt , ſubinde comparent, nunc aliae poſt alias, novae , poſt multas jam praegreſſas , emicant. Plerique heic iterum non , niſi virium vitalium torporem , partiumque ſolidarum irritabilitatem nimis imminutam et languentem , adcuſant. Alii, et majori quidem jure , ſyſtemati ſolidorum nimis irritabili et ſpaſmis perturbatam illam eruptionem tribuunt. Eſt inter hos cum primis , praematura morte orbi litterario ereptus , celeberrimus Academiae Lugdunenſis Profeſſor , WINTERUS , cujus de variolis doctrinam peculiari diſputatione *a*) exhibuit Cl. van JUCHEM. Sed unde ſpaſmus ? Nonne ab inaequali ſanguinis per corpus diſtributione ? Et unde haec , niſi ab ejus potisſimum viſciditate ? Cui enim hominum generi, ut hoc unum adferam , ſpaſtici adfectus ſollemniores ſunt , quam hypochondriacis , quos ſpisſitudine humorum laborare, apud omnes in confeſſo eſt ? Vides igitur , ipſum praecipue lentorem phlogiſticum exanthema•

a) *De variolis atque actione miaſmatis varioloſi. Lugd. Bat.* 1755.

matum eruptioni obſtare. Prodire illa per modum alicujus criſeos, nemo dubitat. Critice autem nihil excernitur, niſi coctum, hoc eſt, eo mobilitatis redactum, ut per emunctoria corporis eiici queat. Quam diu igitur materia varioloſa adhuc ἄπεπτος, hoc eſt, juſto crasſior et viſcidior eſt, tam diu vel plane non ad vaſa capillaria pervenire poteſt, vel, ſi vi quadam atque impetu ad ea propellitur, ipſiſque intruditur, in anguſtisſimis hiſce canaliculis ſubſiſtit, lentore ſuo oſcula illorum obſtruit, atque ita depoſitionem ſui ad cutem ipſa impedit. Si aliquatenus quidem, ſed non dum ſatis, ſubacta eſt, pars quidem illius tenuior ad cutem protrudi poteſt, ſed reliqua, longe plerumque major, in corpore adhuc retinetur, per vim vitalem magis praeparanda et reſolvenda. Quod quidem ubi accidit, mirum non eſt, quod febris haud ceſſat, et exanthemata nova prioribus idemtidem ſuccreſcunt. Et, quum propter viſciditatem ſanguinis, adhuc perſeverantem, ſpaſmi ſolidarum partium non dum ſatis conquieſcant, ſed vaſcula cutis juſto plus adhuc criſpentur, quid facilius accidere poteſt, quam ut illa etiam exanthemata, quae jam emicuerunt, vacillent? Nihil horum, veſi-

veſicatoriis ab initio ſtatim admotis, unquam a me obſervatum eſt. Solvendo enim atque attenuando ſanguinis lentorem, omnia eruptionis maturae et ſufficientis obſtacula removent, eoque ipſo periculoſos, immo non raro funeſtos, variolarum, impeditius prodeuntium, effectus praecavent. At nonne juſto citior hac ratione evadit eruptio, et criſis praecipitatur? Citius erumpere exanthemata, fateor. Adplicatis primo morbi die veſicatoriis, jam ſub finem ſecundi, vel initium tertii, prodiiſſe vidi. Damnant graviſſimi Auctores, SYDENHAMUS *b*) BOERHAVIUS *c*) et HOFMANNUS *d*) citam eruptionem. Sed cur damnant? Quia poſt illam non deſinere febrem, ſed cum graviſſimis exacerbationibus ſaeviſque ſymptomatibus pergere obſervarunt. Sed unde illa febris continuatio? A materia varioloſa, uti dixi, non dum ſatis reſoluta. Non igitur damnanda eſt illa eruptio ideo, quod cito ſit, ſed quod fit ſine praevia univerſae molis excernendae coctione. Atqui vero, huic

b) *Opp. pag.* 135.
c) *Aphor.* 1385. *et* 1398.
d) *Medicin. Syſtemat. Tom. IIII. Part. I. Sect. I. Cap. VII. pag.* 50.

huic veſicatoria omnem, quam decet tenuitatem et mobilitatem conciliarunt. Tuto igitur confidi poterit eruptioni, etiam ſi ante quartum, vel tertium, jam diem evenerit. Equidem conſtanter exanthemata, quo maturiora, eo laudabiliora, vidi. Et eruptionem illorum, vere criticam, primo jam et ſecundo ab invaſione morbi die factam, adnotavit ſollertiſſimus RIVERIUS *e*). Nec me hilum movent, quae de criſeos praecipitatione dicuntur. Dies enim certos et ſtatos ad criſium eſſentiam non pertinere, multiplex me docuit experientia, et celeberrimi Viri dudum monuerunt. Citiorem pepſin citior quoque, ſi cetera paria fuerint, ſubſequitur criſis. Et cur illam natura, potentioribus remediis adiuta, breviori non abſolvat tempore?

§. X.

e) *Prax. Med. Lib. XVII. Sect. II. Cap. III. pag.* 630.

§. X.

EFFECTUS III.

Veſicatoria retroceſſionem variolarum impediunt.

Quotieſcumque haec accidit, aegroti admodum de vita periciitantur, et frequentius fato cedunt. Graviſſimos et acutiſſimos morbos, ut apoplexiam, cephalitidem, gaſtritidem, pneumonitidem, *cet.* inde prognatos fuiſſe, obſervationum medicarum ſcriptores teſtantur, et aliquot illorum ipſe obſervavi. Mirantur non nulli, qua ratione retrocedens haec materia, quae a vitali humorum conſortio ſaepe minimo ante excluſa, et, quoad in illo manſerit, omnis noxae expers fuerit, tam repentinas ſtrages edere queat, atque ad explicandum hoc phaenomenon, illi in cute detentae, virulentam quamdam indolem accedere, et ex hac funeſtos illos effectus repetendos eſſe, contendunt. Sed primum falluntur, quum materiam varioloſam, a reliqua humorum maſſa non dum ſegregatam, aut in corpore adhuc incluſam, plane innoxiam eſſe ſibi perſuadent. Unde enim, niſi ab illa, excitantur dira

illa ſymptomata, quae impeditiorem exanthematum eruptionem toties comitantur? A convulſionibus autem et caro, vel orthopnoea, facilis eſt in apoplexiam et cephalitidem, vel pneumonitidem, tranſitus. Et quo, quaeſo, morborum genere, niſi aut uno ex his, aut ſimili, moriuntur, qui in primo morbi ſtadio interdum ad plures abeunt? Deinde facile quidem largior, materiam varioloſam, ad cutem propulſam, mora et ſtagnatione acriorem reddi: neque tamen hinc ſolum illas nocendi vires derivaverim, ſed inde potius dependere crediderim, quod quam diu illa ex ſanguine non dum peritus ſeceſſit, hujus lentore involuta, minus liberum agendi ſpatium inveniat, poſtea vero, hoc reſoluto jam et attenuato, retrogrediens, ſui juris facta, et ab involucro nudata, viſceribus incumbat, atque ita pernicialem ſuam vim longe expeditius iis exerceat. In revocandis retrogradis hiſce exanthematibus ſummam eſſe veſicatoriorum efficaciam, omnes uno ore confitentur, eamdemque ipſe in deſperatis aliquot caſibus expertus ſum, inprimis, ubi ſulfur antimonii auratum, mirificae, ſupra quam cuiquam inexperto credibile eſt, virtutis remedium, ſimul adhibui. Dubium itaque

que eſſe non poteſt, quin eadem ipſam retroceſſionem impediant. Therapeuticum enim remedium quomodo non etiam ſit prophylacticum? Manifeſtius etiam id patebit, ubi, cauſis, exanthematum retroceſſionem generantibus, contraria eſſe veſicatoria, demonſtravero. Omnium frequentiſſima eſt perſpiratio cohibita. Quam diu haec viget, numquam timenda eſt retroceſſio. Quoties autem, vel admiſſo aëre frigido, vel gravi oborto terrore vel aliunde, ſalutaris iſta excretio ſupprimitur, facillime accidit, ut exanthemata ab exterioribus ad interiora relabantur. Altera, ſatis etiam frequens, cauſa eſt diarrhoea, qua ingraveſcente, vitalis humorum motus ex peripheria ad centrum invertitur, eoque ipſo naſcentia, vel nata jam in cute, exanthemata vi quadam ad partes corporis internas retrahuntur. Vires vitae debiliores, quae, ſicut variolas aegre expellant, ita etiam in peripheria ſuſtinere nequeant, cum aliis huc referre nolim, veram naturae aſtheniam, illa, quam diarrhoeae profuſiores inducunt, excepta, in iis dumtaxat variolis, quas miaſma aliquod putridum fovet, quibus vero methodus mea non eſt dicata, locum invenire, pro comperto

atque explorato habens. Jam vero primum veſicatoria, praeter id, quod fluidas corporis noſtri partes attenuant, ſolidas etiam, quibus incumbunt, ſpiculis ſuis exſtimulant, majoremque humorum ad eas adfluxum provocant. Neque hoc in ea tantum cutis parte praeſtant, cui proxime et ἀμέσως fuerunt admota, ſed, ex lege ſtimulorum, reliquam etiam in conſenſum trahunt, adeoque, uti praeclare monet Ill. TISSOTUS *a*), totius cutis functiones exſuſcitant, tametſi uni dumtaxat parti adplicentur. Verum, ubi humores, ſatis abundeque attenuati, continue ad cutem adpelluntur, ibi perſpiratio non modo haud ita facile cohibetur, ſed etiam, ſi paullulum forte cohibita fuerit, ſtatim poſtliminio reſtituitur. Unde ſuo jure diaphoretici heroici adppellatione ea inſignivit Medicus Judaeus, WOLFSHEIMERUS *b*). Memini equidem quorundam ex aegrotis meis, huic medendi methodo ſubjectis, qui negligentius cuſtoditi, aëri ſatis frigido ſeſe expoſuerunt, nec quidquam inde perpeſſi

ſunt

a) *Epiſt. cit. pag.* 125.

b) *Diſp. de diaphoreticis, medicinae univerſalis loco habendis. Hal. Magd.* 1742. *hab.* *§. XXII. in Schol.*

ſunt incommodi. Eadem agendi ratione, id eſt, humores ad cutem fluere cogendo, diarrhoeam quoque praecavent. Aucta perſpiratione, excretio alvina ſemper imminuitur. Unde illud HIPPOCRATICUM c): *Cutis raritas, alui denſitas.* Etenim alui laxioris conditio, ſine qua non, ut cum Ontologis loquar, eſt inteſtinorum per liquidum, in glandulis ipſorum ſecretum, lubricatio, faecumque exernendarum per idem liquidum humectatio. Neceſſarium igitur eſt, ut ea, quae liquida ab inteſtinis aliorſum derivant, alvum hoc ipſo cohibeant. Atque hinc merito laudat veſicatoria Ill. TISSOTUS d) ad compeſcendam diarrhoeam illam pernicioſam, qua aegrotorum nonnulli deſiccationis tempore ſaepe corripiuntur. Et periculoſum alui profluvium in pleuritide eorumdem ope feliciſſime ſiſti, poſt acutiſſimum BAGLIVUM obſervavit laudatus TRILLERUS e). Memorabile hujus rei exemplum ex mea ipſius praxi mihi ſuccurrit, quod bona cum Lectorum

 venia

c) *Epidem. Lib. VI.*
d) *Loc. cit. pag.* 38.
e) *Commentat. cit. Cap. IV.* §. *VI. Conf. pag.* 77.

venia breviter heic enarrabo. Femina, quarto circiter menſe gravida, exeunte aeſtate, acutisſima ſiniſtri lateris pleuritide corripitur. Sub finem tertii diei in auxilium vocor. Nihil interea remediorum, praeter infuſum herbarum veronicae et hederae terreſtris, adhibitum fuerat. Extrinſecus cataplaſma ex malis putridis, in oleo lini frixis, adplicuerant. Jubeo ſtatim, venam in brachio lateris adfecti ſecari, et duodecim ad minimum uncias ſanguinis detrahi. Dum tonſor arceſſitur, aliorſum diſcedo. Aliquot horis poſt reverſus, vix quatuor uncias emiſſas invenio, cauſante, ut referebant, tonſore, ſpiſſiorem eſſe ſanguinem, quam ut per plagam, venae inflictam, egredi posſit. Ac ſane, quod illum obtegabat, corium crasſisſimum et tenaciſſimum, aegrotaeque reſpiratio impeditisſima et ſumme anxia, ſanguinis craſin ſolidiorem, quam fluidiorem, alta quaſi voce clamabant. Mando, ut tonſorem revocent, iterandam eſſe phlebotomen, effecturum me, ut quamvis ſpiſſus cruor exitum inveniat. Sed maritus neutiquam ſe id paſſurum dicebat, metum enim eſſe (hunc, uti poſtmodum comperi, naſutulus tonſor iniecerat) ne uxor abortum

ſa.

faceret. Conabar illi eum eximere, ſed ſurdo narrabatur ſabula, et ipſa etiam aegra, quae natura αἱμόφοβος erat, manibus pedibuſque renitebatur. Ego vero haec videns, verenſque, ut HIPPOCRATIS *f*) prognoſticum: Γυναικὶ, ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, ὑπό τίνος τῶν ὀξέων νουσημάτων ληφθῆναι, θανάσιμον, heic propter morbi gravitatem falleret, quum et AVICENNA *g*) pronuntiarit: *Si pleuritis praegnantibus contingit, valde pernicioſa eſt*, minus conſultum exiſtimabam, venae ſectionem vi quaſi adhibita extorquere, ne, ſi poſt illam vel fetus, vel matris, mors tamen accideret, occidiſſe viderer, quos ſervare non potueram. Eo autem ſeverius urgebam veſicatorium, MEADIANA *h*) et PRINGLIANA *i*) methodo ipſi lateri dolenti admovendum, et, praeter decoctum ex ra-

f) *Sect. V. Aphor. XXXI. quem in metrica noſtra Aphoriſmorum Hippocraticorum verſione, ἀνεκδότῳ, ita latine reddimus:*

Femina ſi morbis gravida infeſtatu acutis,
Illam ſub leges mors vocat atra ſuas.

g) Apud *FORESTUM Obſervat. et Curat. med. Lib. XVI. Obſ. XXX.*

h) *Monit et praecept. med. Cap. I- Sect. VII.*

i) *Loc. cit. Part. III. Chap. I. et II.*

radicibus et herbis, partim emollientibus, partim reſolventibus, cum multo melle largius bibendum, miſturam ex aqua ſtillatitia hyſſopi, oxymelite ſcillino, gummi ammoniaco repurgato, et borace veneta, praeſcribebam cujus cochlearia duo ſingulis horis caderet Sed veſicatorium negligebatur. Graviora hinc omnia ſymptomata, quibus verſus mediam noctem accedebat diarrhoea profuſiſſima, non tantum ſine ullo illorum levamine, ſed cum ſumma etiam virium, tum vitalium, tum animalium, proſtratione Primo mane arceſſitus, ſine mora veſicatorium praegrande lateri, et duo alia ſuris, adfigi praecipio Elapſis ſeptem circiter octove horis, diarrhoea cohiberi, vires paullatim reſurgere, dolores minui, reſpiratio liberior fieri, et ſudores per univerſam cutem erumpere, quibus morbus perfecte judicabatur, et aegra, Libitinae jam jam ab omnibus ſacra et devota habita, brevi poſt cum ſanitate in pleniſſimam redibat gratiam. Neque, quod admiratione quam maxime dignum mihi videtur, quidquam noxae ex graviſſimo hoc morbo in fetum redundavit Stato enim tempore filiolam ſaniſſimam peperit.

§. XL.

§. XI.

EFFECTUS IV.

Veſicatoria parciorem variolarum proventum efficiunt.

Eximium hunc effectum, quem veſicatoria, etiam ſolius eruptionis promovendae gratia adhibita, edidiſſe, ab LENTILIO *a*) et Ill. TRALLESIO *b*) obſervata ſunt, tam conſtantem vidi, ut numquam confluentes variolas prodire meminerim. Semel tantum vel bis tam numeroſas vidi, ut proxime a cohaerentibus abeſſent. Sed tum veſicatoria, emicantibus jam jam confertim exanthematibus, admota fuerant. Unde vero derivandus eſt hic effectus? Scribit Ill. TRALLES *c*), *toties notaſſe Auctores, qui de operatione veſicatoriorum ſcripſerint, a tantillo ſeri, quod evacuent, actionem eorum fructuoſam*

a) *Loc. cit. pag. 602. Obſervavi, veſicatoria non tantum promovere variolarum eruptionem, ſed pauciores tunc, diminuta materia, generari.*
b) *Diſſ. cit. §. pag.* 115.
c) *Loc. cit. §.* XXI. *pag.* 111.

ſam minime repetendam eſſe. Eadem Ill. TISSOTI *d*) mens eſſe videtur, qui, uſum illorum, ab JOH. FREINDIO, aliisque Angliae Medicis, adverſus febrem variolarum ſecundam commendatum, damnans, *dubium remanere* ait, *num verum varioloſum pus, ante, quam adponerentur, jam exiſtens, an novum, quod ipſa generarint, evacuent.* Mihi vero plane non eſt dubium, quin inſignem prorſus materiae varioloſae copiam eliminent. Certum eſt, omnium excretionum largisſimam eſſe perſpirationem. Atqui hanc, ipſo fatente TISSOTO *e*), veſicatoria augent, immo *profuſos ſaepe excitant ſudores f*). Quis igitur dubitet, quin una cum his et illa incredibilis materiae varioloſae copia evacuetur. Neque enim in morbis exanthematicis materiam perſpirabilem ſolam, ſed bonam quoque exanthematicae partem, ſimul exhalari, luculentisſime docet dyſodia, cuique propria, quam nares paullo emunctiores facili negotio diſtinguunt. Deinde ea quoque ſeri copia, quam ipſa loca exulcerata plorant, haud ita exigua eſt, praeſertim, ſi rationem temporis habeas,

d) *Epiſt. cit. pag.* 40.
e) *Loc. cit. pag.* 218.
f) *Loc. cit. pag.* 125.

beas, per quod fluxus iſte continuatur. Et valde hunc, ut expertus novi, augere potes, ſi deligationem ſaepius renoves. Quo vero quis minus dubitet, an materia etiam varioloſa per haec emunctoria ejiciatur, plura prohibent. Quod ſi enim per reliquos ductus excretorios eliminatur, ut reapſe eliminari oſtendimus, quid ni per hos etiam exitum ſibi paret, et multo quidem magis, quod et oſcula eorum magis patent, et uberior magiſque continuus ad ipſos viget humorum adfluxus? Deinde puſtulas varioloſas, remotis citius veſicatoriis, cutem antea exulceratam obſediſſe, obſervavit ſagacisſimus LENTILIUS g), manifeſto argumento, non ſerum meracum, ſed materiam exanthematicam ſecum vehens, adpelli. Denique, quum alias, quamvis longe diutius ſuſtentato fluxu, loca ulceroſa promtiſſime, immo ſua veluti ſponte, ſaneſcant; heic vero plerumque admodum tarde, et ſaepe non, niſi remediorum, quae vocant, mundificantium ope, conſolidari poſſint: id peculiari cuidam ſeri emanantis acrimoniae adſcribi, hanc autem ipſam non aliunde, quam ab admixta materia varioloſa derivari oporte-

re-

g) *Loc. cit. pag.* 201.

re, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſſe exiſtimo. Ipſe Ill. TRALLES, quod pace Ipſius dixerim, alio loco *h*) manifeſto ſibi contradicit, ubi phaenomenon illud, aliquoties ab ſe obſervatum, quod adhibita ante eruptionem veſicatoria pauciores ſecutae fuerint variolae, non aliter explicari poſſe credit, quam, ut dicat, *potiorem partem veneni cum ſero affluente fuiſſe excluſam.* Neque injuria ejuſdem peccati logici reum, quamvis invitiſſimus, poſtulaverim Ill. TISSOTUM, qui in egregia illa *pro variolis artificialibus Apologia i*) earum praerogativas cum primis etiam hinc infert, quod ex vulnuſculo, ad inſitionem inſtituendam inflicto magna materiae exanthematicae copia cum pure effluat.

§. XII.

h) *Loc. cit.* §. XXII. *pag.* 115.
i) *Inoculation juſtifiée. Sect. VIII.* §. XXXXV.

§. XII.

EFFECTUS V.

Veſicatoria variolas a facie arcent.

Rarae ſemper ad numerabiles, ut pote paucae, in facie aegrotorum, hac methodo tractatorum, adparent puſtulae, eoque pauciores, quo maturius adponuntur veſicatoria, ubi non dum convulſiones, ſoporoſi adfectus, deliria, aliaque, materiam exanthematicam, ad caput et cerebrum delatam, teſtantia, eruperunt, aut ipſa exanthemata in facie jam emicare coeperunt. Non parum ad effectum hunc conſequendum ea facere, quae de ſesſione, decubitu, *cet.* ſupra laudavi, perſuaſum habeo. Omnia enim ita ſunt comparata, ut humorum anarrhopiam, ſive raptum ad caput, infantibus et pueris per ſe jam naturalem *a*), impediant. At praecipue tamen

a) Vid V. C FERDINANDI CHRISTOPHORI OETINGERI curioſa, erudita et lectu dignae *An arborum inſitio, imitando variolarum inſitionem, pro curandis pueritiae morbis rebellibus tuto tentari poſſit?* *Tubing.* 1762. *hab.* §. XXXIIII. *ſqq.*

men veſicatoriis illum in acceptis referri oportet. Etenim ut vere ait Ill. TRALLES *b*) *ex lege ſtimuli, corpori humano illati, omnis morbi impetus eo debet determinare, ubi ſtimulus haeret, adeoque omnibus reliquis, et internis, et externis partibus mitius incumbere.* Augeri etiam poteſt, bonoque cum ſucceſſu in duobus prioribus morbi ſtadiis augetur, haec revulſio, tum pediluvia et cataplaſmata mollia pedibus inferioribus continue adplicando, tum epiſpaſtica plantis admovendo, quae per ſe jam, nominatim pediluvia, ad humoris varioloſi congeſtionem a ſuperioribus revocandam, plurimi impenſe commendant. licet, quod ingens Lipſiae ſuae ornamentum, Ill. LUDVVIGIUS *c*), praeclare jam monuit, effectus non ſemper exſpectationi reſpondeat. At uſum illorum penitus damnat RUDOLPHUS JACOBUS CAMERARIUS *d*) *inter curioſitates nocuas*, inquiens, *pono imtempeſtivum illud ſtudium, variolas ad partes ignobiliores, ſci-*

b) *Diſſ. cit.* §. XXII. *pag.* 114.
c) *Inſtitut. Medicin. clin. Part. I. Cap. I. Subſect. VII.* §. 192.
d) *Diſp. de variolis. Tubing.* 1717. *hab.* §. XXXVI.

ſcilicet pedes, quotidianis pediluviis derivandi, ne deturpetur facies. Hac enim ratione virgo Belgica faciem pulchram conſervaſſe legitur, ſuccedente pedum paralyſi incurabili Nonne periculum eſt, ne tale quid etiam veſicatoriorum noſtrorum adplicationem ſequatur? Primum non dum evictum eſt, paralyſin iſtam pediluviis adhibitis natales ſuos debuiſſe. Neque enim, quae ſiti ſuccedunt, ideo ſe ſtatim habent, ut cauſa et effectus, vel, ut principium et principiatum. Sed, ut largiar, a pediluviis natam fuiſſe paralyſin, ea profecto idcirco tantum naſci debuit, quod uberior materia varioloſa ad pedes invitata fuit, quam quae exitum ibi inveniret: quae retenta demum ſtagnanſque, nervis compresſis, vel alia modo laeſis, morbum iſtum procreavit, eadem ratione, qua WEDELIUS *e*) a variolis retrocedentibus amauroſin, ſive retinae reſolutionem, generari perhibet. Jam vero mali humores, per veſicatoria ad pedes revulſi, neutiquam retinentur, ſed perpetuis rivis emanant. Nihil igitur ſimile ab iis metuen-

e) *Diſp. de amauroſi. Jen.* 1705. *hab. Cap. V. pag.* 21.

tuendum eſſe oppido patet. Ipſa vero, quam praeſtant, revulſio ſummi omnino eſt momenti. Magnum SYDENHAMUM *f*) qui variolarum ingenium tam probe perſpectum habuit, ut decies legi eum mereri judicaverit ſummus BOERHAAVIUS *g*), omne periculum omnemque ſecuritatem morbi ex faciei maxime exanthematibus, aut multis, aut paucis, dijudicaſſe, nemini eſt incognitum. Exquiſitisſimae obſervationes id ipſum docuerant, quas BOERHAAVIANAE *h*) confirmarunt. Nec poſt illos ſanioris praxeos medicae ſtatores alii defuerunt, qui inde potisſimum certam variolarum prognoſin deducendam eſſe teſtarentur. Nuper demum Ill. BOISSIER de SAUVAGES *i*) in hanc ſententiam ſcripſit: *Quotcumque fuerint in reſiduo corpore, modo rarae ſint et diſtinctae in facie, perinde eſt, et prognoſis multo tutior eſt.* Niſi vehementer fal-

f) *Opp. pag.* 443.

g) *Aphor.* 1379.

h) *Aphor.* 1398. *Quo pauciores — — plus a facie remotae puſtulae, — — eo meliores: quo plures — — magis in facie haerentes — — eo peiores.*

i) *Noſolog. method. Tom. II. Part. I. pag.* 370.

ſallor, ratio admodum plana eſt. Puſtulae, univerſam faciem obtegentes, materiam exanthematicam in partibus omnium nobilisſimis, cerebro et ſyſtemate nervoſo, primam ſedem fixiſſe, vel maximam certe partem delatam huc eſſe, exſerto quaſi digito indicant. Quod ſi jam faciei cutis toti excipiendae impar fuerit, ut bona illius pars intus remaneat, quid aliud niſi funeſta exſpectanda ſunt ſymptomata? Nonne etiam tum quum univerſa prodit, facile labem aliquam relinquere potuit, ſerius ociuſve letalem futuram? Et quas denique alias, vel retrocedens, vel reſorpta etiam, ſi placet, partes infeſtabit, quam has ipſas, in quibus primum ſuum nacta fuerat domicilium? Ubi vero majus, ubi præſentius, quam heic locorum, vitae minitatur periculum?

§. XIII.

EFFECTUS VI.

Veſicatoria oculos ab omni variolarum injuria defendunt.

Hic effectus ex praecedente neceſſario conſequitur. Ubi enim totum, hoc

 eſt,

eſt, facies, a variolis non infeſtatur, ibi etiam in partem, id eſt, in oculos, non poteſt non idem redundare beneficium. Quanti autem faciendus ſit hic effectus, vel inde patet, quod variolae oculorum in primis hoſtes ſunt infeſtisſimae, et pleraque, ad illos cuſtodiendos adhuc adhibita remedia, vel vana ſunt, vel minus tuta, vel plane noxia. Vanis adnumero palpebras auro perfrictas, quod ſane heic nihilo plus juvat, quam vel aqua carbunculi aurea, aut pretioſum illud cornu cervi auratum, ad febres malignas, vel potus ex poculo inaurato hauſtus, aut nummus aureus, potui injectus, ad icterum, vel auri folia, in iuſculis cocta, ad tabem et atrophiam. Minus tuta cenſeo fomenta tepida, oculis continue admota, qui omnia, quae ſanguinis anarrhopiam provocant, ſollicite fugienda, et frigidulum capitis regimen ſtudioſe ſervandum eſſe, convictus ſcio. Plane noxia judico repellentia, quae ſemper cum magno periculo, ſaepe cum pernicie aegrotantium, adplicata legi, et ipſe vidi. Ac minimum abeſt, quin huc referam, quae non nullis familiaris eſt, methodum, qua ipſis quidem oculis repellentia, reliquae autem faciei mollientia,

tia. adhibent Quibus praeiviſſe videtur BERNHARDUS de GORDONIO *a*), ita praecipiens: *Cavendum eſt in hoc morbo, quod non ponantur repercuſſiva, quia materiam repercuterent ad membra nobilia, niſi in oculis propter nobilitatem eorum.* Equidem perſpirationem, tantopere neceſſariam, ſingulari hoc, ſi diis placet, artificio inſigniter perturbari, nequaquam dubito. At nonne oculos optime defendit, quae numeroſam puſtularum in facie congeriem ſemper excipit, palpebrarum conglutinatio? Ita quidem multi, iique maximi nominis Viri, ſtatuunt. Elegantiſſimus PLATNERUS *b*) ait *Crebra animadverſione cognitum eſt, oculos, quos variolae infeſtant, optime cuſtodiri, ſi palpebrae inter ſe glutinantur. Sic enim lux et aër avertuntur, quae nervoſarum oculi membranarum inflammationem maxime concitare atque accendere ſolent.* Et Tubingenſis Academiae Chiron Ill. MAUCHARTUS *c*): *Salubriter conglutinantur*

a) *Lilio Medicinae Part. I. Cap. XII. fol.* 8. *col. A. ed. Venet.* 1498.

b) *Inſtit. chirurg.* §. 285. *in not.*

c) *Diſp. de conjunctivae et corneae, oculi tunicarum, veſiculis ac puſtulis. Tub.* 1748. *hab.* §. *VIIII. pag.* 11.

tur varioloſorum palpebrae. Et doctiſſimus KLEINIUS *d*): *Oculi, quos variolae infeſtant, optime cuſtodiuntur, palpebris inter ſe glutinatis.* Miror, quum adeo tuta eſſe perhibeatur haec prophylaxis, inventos nondum eſſe, qui aegrotis artificiale ἀγκυλοβλέφαρον induci ſuaderent, quale ALEXANDER RUSSEL *e*) inter ritus Judaeorum Aleppenſium nuptiales eſſe refert, ut ſponſarum palpebrae reſina vulgari inter ſe glutinentur, ſuo tempore a ſponſis recludendae. Mihi, ut verum dicam, illa vehementur infida eſſe videtur. MAUCHARTUS *f*) quidem teſtatur, *innumeris vicibus obſervaſſe ſe, in confertiſſimo, peripheriam corporis obſidente, variolarum agmine, et ipſarum quidem malignarum, bulbos oculorum, palpebris tempeſtive conglutinatis obtectorum, nullam plane incurriſſe labem.* Sed, aut egregie fallor, aut id tantum hinc ſequitur, ut palpebrae ſaepius ſine noxa inter ſe;

d) *Interpr. clin. pag* 289.
e) *Deſcript. urbis Aleppenſis.* Vid. *Sammlung der beſten und neveſten Reiſebeſchreibungen in einem ausfyhrlichen Auszuge. Berlin* 1763. *Vol. I. pag.* 437.
f) *Loc. cit.* §. *XV. pag.* 16.

ſe glutinari posſint. Id quod lubens meritoque concedo. Nam et ego, ſeptem annorum puer, ex variolis confluentibus hoc ancyloblepharo per integram hebdomadem laborans, viſum tamen reportavi incolumem. At plurimos novi alios, quos non ita

*aequus amavit
Jupiter.*

Interroga, ſi placet, millenos, quorum oculi ſub variolis male mulcati ſunt, et quovis pignore certare auſim, vix unum fore, quin palpebras ſibi conglutinatas fuiſſe dicat. Ex vero itaque ſcribit Cl. van JUCHEM *g*): *Ubi tempore ſuppurationis propter immanem tumorem palpebrae occluduntur, vel variolis obſidentur, apertis poſtea palpebris, viſus ſaepe hebeſcit, vel, exulcerata cornea, lumine per totam vitam captus manet aeger.* Nec obſcura eſt ratio. Pus, quamvis benignisſimum, mora et ſtagnatione acrimoniam contrahit, quae perfrictione atque ejulatu aegrotantium magis etiam adaugetur. Particulae autem hujus puris, vel ichoris jam potius, quas tamquam totidem

 ſpi-

g) *Diſp. cit. Cap. III. §. IIII. pag.* 17.

ſpicula conſiderari oportet, laceſſunt ſane adroduntque proximas et ſanas partes, adeoque inflammationes atque exulcerationes neceſſario, multo certe facilius, quam lux et aër, a PLATNERO tantopere formidata, concitant.

§. XIIII.

EFFECTUS VII.

Veſicatoria, in variolis adhibita, nitorem vultus ſincerum integrumque conſervant.

Non ſpernendum eſſe hunc effectum, facile agnoſcet, qui, vultus aegrotorum a variolis non numquam ita dehoneſtari, viderit, ut humani eſſe paene deſinant, ſimulque, inter bona corporis, a benigniſſimo CREATORE nobis conceſſa, ſecundum a ſanitate locum formae venuſtati et dignitati ex merito tribui, perpenderit. Puellae nominatim, cuſtodiendi facie nitoris ita ſtudioſae, ut, adſerente Cl. HOTZIO a), *quae vitam ſervare velit formae jactura*,

Haud

a) *Diſſ. de balneis infantum Tubing.* 1758. *hab.* §. *XIIII. pag.* 32.

Haud facile invenias multis e millibus unam, illum, uti confido, multo habebunt acceptiſſimum, nec veſicatoria, tantopere alias ab ſe formidata, amplius perhorreſcent, ſed, ſpe tanti boni ſarti tectique ſervandi, imperterrito animo ipſae iis ſe offerant, atque in perferendis, cum remedio conjunctis, doloribus, non viragines, ſed viros, immo heroas adeo, ſe praeſtabunt. Eſt autem ſeptimus hic effectus neceſſarium quinti conſectarium. Neque eſt, quod metuas, ne paucae tamen illae puſtulae, quae in facie excluſae ſunt, profundiores cicatrices inducant. Plerumque nullas, et, ſi quas, oppido leves illas, cum creſcente aetate paullatim evaneſcentes, relinquunt. Si quis tamen et has nolit, facile eas praecavebit puſtularum maturarum perſcisſio, quae, longe utiliore hodie fini, nempe febri variolarum ſecundae ſedandae, deſtinata, majoribus noſtris venuſtatis praeſidium fuit. Hoc nomine variolas acu aurea pertundi ſuaſit Medicorum Arabum princeps, AVINCENNA *b*). Idem præcipit GORDONIUS *c*); *quum vero maturantur*, inquiens, *per-*

b) *Canon. Medic. Lib. IIII. Cap. de variolis.*
c) *Loc. cit. col. B.*

perforentur cum acu de auro. Ego vero acubus, aut ſtilis, forſices praeferendas eſſe cenſeo, quum harum ope pus facilius evacuetur. Non ignoro, maia vulgo audire hanc operationem, et ad generanda potius, quam ad præcavenda, variolarum veſtigia aptam judicari. Unde ſerio a matribus liberos moneri audias, ne prurientes puſtulas fricando diſrumpant. Teneriores, quo id minus faciant, prohibiturae, manus ipſorum cunis firmius adligant. Immo memini, ſuaſam a Medico in febre ſecunda graviſſima puſtularum perſciſſionem locum non invenire, niſi hac lege, ne qua, faciem obſidens, ei ſubiiciatur. Miror vero, illam etiam eruditiſſimo HUXHAMO *d*) ad conſervandum vultus nitorem irritam, immo adeo noxiam, videri. Sane, foveas illas intactis potius, vel ſerius disruptis, quam mature perſciſſis, puſtulis deberi, puris ſtagnantis affectus dubitare me non ſinunt. Conſentientem laudo Ill. TISSOTUM *e*), qui, *egregium illum* FELICEM PLATERUM *probe monuiſſe* dicit, *niſi maturius aperiantur puſtulae, pure retento, carnem exedi, ulcuſcula cava inde*

d) *De variolis. pag.* 41.
e) *Epiſt. cit. pag.* 66.

inde fieri, cicatriceſque, foveam facientes, relinqui. Gemina prorſus monet expertiſſimus LENTILIUS *f*), *praecaveri poſſe cicatrices permanentes, ſi, puſtulis majoribus forficula ſciſſis, materiae purulentae exitus ante maturetur, quam, intra cuticulam diu captivata, carnem ſubjectam depaſcatur.* Damnoſa eſt illa potius prophylaxis, quae per unguinoſa, oleoſa, ſaturnina, vel alia mala artificia, inſtituitur. HOFFMANNIANAM *g*) vero, qua puſtulis, areſcere incipientibus, facie prius oleo amygdalino illita, auri folia, vel lamellae, imponuntur, et, donec decidant, intactae relinquuntur, quum legerem, vix temperare mihi poteram, quin alta voce exclamarem CATULLIANUM illum Scazontem:

Ridete, quid quid eſt domi cachinnorum.

§. XV.

EFFECTUS VIIII.

Veſicatoria febrem variolarum ſecundam vel omnino praecavent, vel mitiſſimam efficiunt.

Febrem hanc ſumme periculoſam, et ſine ea variolas morbum ſua ſponte ſanabilem

f) *Loc. cit. pag.* 235.
g) *Vid. Act. phyſ. med. Vol. I. Obſ. CCXIIII.*

lem eſſe, concordia Medicorum ſuffragia comprobant. Eſt ea, ut Ill. TRALLESII a) verbis utar, *immanis illa homicida, immiſericors illa hoſtis generis humani, dira illa venefica, cujus miniſterio ſolo demum variolae trucidant.* Et, ſi qui etiam, Artis potentia adjuti ὡς διὰ πυρὸς ſalvi evaſerint, quot illis intolerandi patientiae humanae cruciatus fuerunt perferendi? Saxeum eſſe oportet, vel ferreum, qui aegros, cum atrociſſima illa febre conflictantes, ſine intimo commiſerationis ſenſu adſpiciat. A praeſentiſſimo autem iſto vitae periculo, ab exquiſitiſſimis iſtis dolorum tormentis, veſicatoriorum beneficio immunes praeſtantur. Peracta eruptione, adoleverunt maturuerunt, exſiccatae fuerunt, puſtulae, ſine ullo tumultu nulla plerumque febre adparente, aut tali, qua nihil mitius fieri potuerit. Sed quomodo explicare licet hunc effectum? Non dubito, fore pleroſque omnes, qui eum ex quarto veſicatoriorum effectu neceſſaria conſecutione emergere judicent, opinantes nimirum, febrem variolarum ſecundam non, niſi ab exanthematum copia, pendere, et prout haec major, aut minor ſit, ita eamdem graviorem, aut leviorem, eſſe. Veriſſimum hoc fo-

a) *Diſſ. cit.* §. *XXII. pag. III. ſeq.*

ſoret, ſi, quod illi ſtatuunt, cauſa, febrem ſecundam efficiens, pus eſſet, in masſam ſanguineam reſorptum. At mihi quidem hoc non dum ita videtur liquidum, ut nullus dubitationi locus relinquatur. Occurrunt ſane phaenomena, quae ex illa hypotheſi neutiquam explicari poſſunt. Videas ſaepe variolas diſtinctiſſimas, quas acutiſſima febris ſecunda comitatur. Videas e contrario non numquam confluentiſſimas, hac prope nulla, vel admodum levi, ſtipatas. Quomodo haec cum dicta febris ſecunda cauſa conciliare liceat, equidem tam perſpicax non ſum, ut videam, Aut plane egregie fallor, aut poſita illa, abſolutae neceſſitatis eſt, ut febris ſecunda variolas confluentes ſemper graviſſima, diſtinctas autem ſemper vel plane nulla, vel longe mitiſſima, concomitetur. Unde igitur febris illa? Praeter ſuſpicionem aliquam, nihil habeo, quod adferam. Putem quippe, ſalvo etiam atque etiam aliorum judicio, haud raro in eruptionis ſtadio totam materiae varioloſae maſſam excretioni non dum ſatis eſſe idoneam, adeoque ſanguini manere admixtam Fieri hinc, ut, copioſiſſimis etiam exanthematibus ad cutem protruſis, aeger nihilo tamen ſecius non le-

levetur, ſed ſymptomata primi ſtadii eodem cum vigore pergant, quod natura materiam relictam ope febris ſubigere et coquere adlaboret. Cocta hac, febrem violentius invaleſcere, quod natura jam illius excretionem urgeat. Materiam exanthematicam iterum determinari ad cutem, ſed exitum ibi non invenire, vel, quod haec, denſiſſimo puſtularum agmine jam obſeſſa, pluribus excipiendus ſit impar, vel quod vaſcula exhalantia a ſpaſmis ſint conſtricta. Sic vero, quum plus ultra progredi nequeat, illam in tela celluloſa deponi. Inde faciem artusque intumeſcere. Naturam interea, ad corpus a noxia hac ſaburra liberandum, vel ptyalismum, vel diarrhoeam, excitare, quibus mali humores eliminentur. Atque hunc eſſe ſecundum febris ſecundae eventum. Sin autem materia varioloſa non in tela celluloſa cutis ſed viſcerum internorum, deponatur, vel ex illa in hanc retro labatur, vel denique evacuatio per ptyalismum et diarrhoeam ut nulla ſit, aut minus ſufficiens, aegrotum, niſi ars quaedam potentior interceſſerit, inevitabili fato ſuccumbere. Atque hinc jam ſatis ſuperque patere exiſtimo, cur utriuſque generis variolas, di-

ſtin-

ſtinctas et confluentes, febris ſecunda nunc comitetur, nunc non comitetur. Complurium quoque aliorum phaenomenorum, alias inexplicabilium, ratio inde reddi poteſt, quae, ne juſto longior ſim, alii occaſioni reſervo, ubi hanc meam de febri variolarum ſecunda hypotheſin ex profeſſo exponam, juſtisque argumentis veri ſimiliorem facere conabor. Veſicatoria igitur, ut eo, unde digreſſus ſum, reverrar, febrem variolarum ſecundam ideo praecavent, vel minuunt, quod ſuſtentata per illa continua evacuatione, nihil, vel perparum, materiae exanthematicae in corpore remanet, quod illam concitare atque accendere poſſit. Febriles enim iſtos motus, qui obſervari ſolent, potius a ſuppuratione, quae ἀπύρετος cogitari nequit, dependere crediderim.

§. XVI.

EFFECTUS VIII.

Veſicatoria reliquias variolarum praepediunt.

Varii generis morbos ſonticos nunc citius nunc tardius, poſt exantlatas variolas aegris accidere, numeroſisſimis conſtat obſer-

ſervationibus, quarum vel ſolis citationibus integrae aliquot pagellae repleri posſint. Ad tres claſſes illos reduxit Ill. TISSOTUS *a*), alios ex dejectis gravi morbo viribus, alios ex depoſito alicubi pure, alios ex laeſa aliqua parte, oriri ſcribens. Sed veſicatoria non modo totum morbi decurſum ita mitem reddunt ut nulla umquam naſci posſit virium proſtratio, ſed etiam humorem vitioſum perpetuo ex corpore eliminant, eoque ipſo, partes ab omni iniuria defendunt, praecipue, quum illum a nobilioribus ad ignobiliores fluere cogant. Fieri itaque non poteſt, quin aegrotos a reliquiis variolarum potentisſime atque efficacisſime defendant. Interim tamen illos moneo, ne ſtatim a ſuperato morbo nimiae ſecuritati indulgeant circa intemperantem uſum turbulenti aut frigidi aëris et, quorum libet ſine diſcrimine ciborum et potuum. Apotherapiae loco, pro conditione aegri, tempeſtive pharmacum eccoproticum, vel catharticum, exhibeo, juſtiſque, ſi opus eſſe videatur, intervallis repeto. Suras exulceratas, ſi emplaſtris ſaturninis obedire recuſent, eſſentia myrrhae, ſine ſale alkalino parata, perſano.

I. EPHE-

a) *Epiſt. cit. pag.* 75.

SPECIMEN

Obſervationum miſcellarum, rem medicam illuſtrantium.

E PLU-

PLUTARCHUS.

Ἡ δὲ ποικιλία τερπνόν.

I.

EPHELIDES GRAVIDARUM.

Adierat me ancilla, undeviginti circiter annorum, catameniis ſuppreſſis remedium petens, quorum principium terrorem fuiſſe referebat. Neſciens, an tuta heic eſſet fides, nefas judicabam, pharmaca ante praeſcribere, quam illius probitatem per heram, cui ſerviebat, compertam haberem. Jubebam igitur eam poſt duas hebdomades reverti, opportunum emmenagogis utendi tempus jam non eſſe, cauſans. Erat tum forte apud me matrona quaedam honeſta, quae me valde laudabat, quod illam vacuam dimiſerim, utpote quam gravidam eſſe primo ſtatim intuitu ipſa cognoverit. Interroganti de ſigno, reſpondebat: Nonne vidiſti maculas iſtas latiores umbrini coloris, faciem ipſius defoedantes? Hae illam non tantum gravidam, ſed etiam ſexus ſequioris fetu gravidam eſſe, certisſime indicant. Addebat, ſemet ipſam, decem liberorum matrem, quotieſcumque puellam utero geſtaverit, maculis iſtis fuiſſe adfectam, idemque in ſexcentis aliis mulieribus obſervaſſe. Neque falſum fuit illud praeſagium, An-

cilla enim, quae ventrem vere tulerat, expletis ad pariendum menſibus, puellam enixa eſt. Ipſe, poſtmodum ad ephelides illas adcuratius attendens, inter plus triginta mulieres praegnantes, iis defoedatas, ne unam quidem inveni, quin filiam pepererit. Eaſdem vero, alio tempore ſexus virilis fetibus gravidas, maculis illis penitus caruiſſe obſervavi.

An ergo ephelides haſce innuunt verba HIPPOCRATIS *a*): Γυνὴ ἔγκυος, ἢν μὲν ἄῤῥεν κύει, εὔχρους ἐστὶν, ἢν δὲ θῆλυ, δύσχρους?

II.

NAEVUS MATERNUS,

MORBOS IMMINENTES PRÆSAGIENS.

Quum in celeberrima Alma Eberhardina Arti addiſcendae operam navarem, inter Amicos meos habui quemdam Juris Candidatum, qui in brachio dextro paul-

a) *Sect. V. Aph. XLII.* quem nos hoc diſticho latino expreſſimus:

Triſtis in ore color prægnanti eſt, quando puellam,
Laetus, quando marem ventre tumente gerit.

paullo ſupra ligamentum carpi transverſum, naevum, quem vocant, maternum, fragum maturum exacte referentem, gerebat. Obſervarat is, quoties color illius vividior in triſtiorem mutabatur, id certisſimum morbi alicujus, ſibi imminentis, ſignum eſſe. Cujus rei quo pleniorem mihi fidem faceret, aliquando ſub aeſtatis initium ad me veniens, naevum ſuum, quem vix quatuor diebus ante laetiſſime rubentem conſpexeram, multo nunc livore decoloratum oſtendebat. Ipſe tunc adhuc et animo et corpore ſatis alacris erat, ac nihil quidquam lasſitudinis illius ſpontaneae, qua morbos praenuntiari dixit HIPPOCRATES *a*), ſentiebat. Paucis autem diebus poſt male habere coeperat, et in febrem miliarem acutisſimam incidebat, a qua non ſine magna difficultate liberabatur. In ſtatu morbi naevus atrum fere colorem habebat, qui in decremento in dies dilutior fiebat, donec tandem una cum ſanitate priſtinus rubor rediret.

Explanatio hujus phaenomeni admodum

 faci-

a) *Sect. II. Aph. V.* Κόποι αὐτόματοι φράζουσι νούσους: quem ita latine reddidimus:

Sponte ſua quoties laſſantur membra, futurum
Morbum aliquem debes jure timere tibi.

facilis eſſe mihi videtur. Plerique omnes morbi homini non derepente accidunt, ſed ſenſim ſine ipſius ſenſu in eo generantur, tametſi ſubito poſtea increſcant. Sub ipſa autem lenta illorum generatione neceſſarium eſt, ut, qui ſanitatem conſtituunt, corporis noſtri motus etiam paullatim ab regula deflectere incipiant. Humores igitur, qui ſecundum naturam vi et niſu cordis atque arteriarum continue ab interioribus ad ſuperficiem corporis extimam feruntur, jam non amplius eo, quo par eſt, vigore huc adpelluntur. Unde fieri non poteſt, quin laetus naevorum rubor, qui a ſolo majori ſanguinis ad ipſos impetu dependet, ſenſim in triſtem livorem et atrorem degeneret. Hinc eamdem hanc coloris mutationem naevis a frigore et terrore accidere obſervamus. Utriuſque enim effectus hic eſt, ut vitalis ille humorum motus a peripheria corporis ad centrum invertatur. Aeque facile explicari poteſt illud phaenomenon, quod naevi, fructus horæos, ut ceraſa, fraga, baccas rubi idaei, referentes, eo anni tempore, quo hi matureſcunt, magis eleventur, ac vividiori colore niteant. Minime opus eſt, ut hoc cum non nullis ab occulta quadam naturae cognatione, quam

quam συμπάθειαν Graeci adpellant, derivandum eſſe ſtatuamus. Fructus iſti fere mateſcunt, dum

Procyon furit
Et ſtella veſani Leonis,
Sole dies referente ſiccos.

Quis vero ignorat, per calorem non modo habitum corporis externum intumeſcere, ſed fluida etiam majore copia ad illum ruere? An itaque mirum eſt, naevos iſtos tum temporis in majus volumen expandi, et colore rubicundiori ſuffundi? Solam hanc dicti phaenomeni cauſam eſſe, vel hinc didici, quod, ſimul ac frigidiorem illis admovi aërem, mox in diametrum minorem coacti ſunt, et minus rubuerunt. Atque iccirco in media etiam hieme a lectorum, balneorum et hypocauſtorum calore, vel a verecundiae, laetitiae et irae adfectu, quibus humores verſus peripheriam urgentur, naevis illis eamdem prorſus mutationem contingere videas.

Quantum utilitatis fructum ex hujuſce modi praeſagio capere liceat, facile adparet. Verum illud verbum eſt, vulgo dici quod ſolet: *Tela praeviſa minus nocent.* Ac neminem unum dubitaturum eſſe confido, quin hac ratione morbi imminentes a Me-

dico prudentiori ſaepius vel omnino praecaveri, vel inſigniter certe mitigari poſſint. Neque obſcurum eſt, quo potiſſimum modo hanc prophylaxin inſtitui oporteat. Omnia quippe unice huc redeunt, ut ſalutaris ille humorum motus, ab interioribus ad exteriora tendens, quem naevus decoloratus inverſum eſſe arguit, primo quoque tempore congruis remediis reſtituatur. Tantum in perſpirationis libertate momentum poſuit immortalis BOERHAAVIUS b), ut diceret, *ſi Medicus methodum teneret, qua perſpirationem in perfecta aequabilitate ſtabilem conſervaret, eum utique arcanum noſſe, quo omnes morbos chronicos et inflammatorios expugnaret.* Quae ſi vera ſunt, ut ſunt profecto veriſſima, efficacisſime omnino venientibus morbis occurremus, ſi excretionem illam, quando in primis adhuc decrementi initiis eſt, rurſum integrare nobis licuerit. Novi ſane celebrioris nominis Medicos, qui, in morborum principiis arcesſiti, ubi veram illorum indolem non dum ſatis perſpectam habere poſſunt, nihil aliud moliuntur, quam ut perſpirationem liberam conſervent, vel depreſſam reſuſcitent. Atque

b) *Praelect. ad inſtitut. de Perſpirat.*

que hanc methodum, quam nihil umquam nocuiſſe, ſed plurimum potius tantum non ſemper profuiſſe vidi, memet ipſum aliquoties imitatum eſſe non paenituit, ut eandem aliis quoque de meliore nota commendare non dubitem. At quo pacto, quibuſve remediis inſtauranda eſt perſpiratio? Duae potisſimum cauſae eam labefactant, plethora et ſpisſitas humorum. Utraque enim aequabilem ſanguinis circuitum, qui præcipuum perſpirationis liberae fundamentum eſt, impedit. Perſpectis cauſis, medela in promtu eſt. Ubi per plethoram humorum perſpiratio non ſuccedit, citisſimum atque tutisſimum remedium diaphoreticum praebet venae ſectio, qua vires cordis motrices, a nimia humorum copia oppreſſae, denuo ſuſcitantur, ut fluida ad ductus cutis excretorios vegetius propellant. Atque hinc toto die obſervamus, plethoricorum pulſum a phlebotome ſenſim pleniorem, velociorem ac fortiorem evadere, totamque corporis peripheriam blando madore perfundi. Ubi vero a ſpisſitate humorum perſpirationis libertas impeditur, optime eam redintegrant pharmaca reſolventia, quae particulas illorum, juſto tenacius inter ſe cohaerentes, diſſolvunt atque at-

tenuant, ut ad vaſa exhalantia, quibus antea minus adcommodatae fuerunt, et facilius et uberius adpelli poſſint. Suaſi Amico meo, quem humorum plethorae et ſpisſitati ſimul obnoxium eſſe intellexeram, ut, quum primum naevi ſui colorem mutari videret, ſine ulla mora venam ſibi ſecari curaret, et poſtea pulverem reſolventem, mihi valde familiarem, ex antimonio diaphoretico non abluto, ſale polychreſto Seignettiano, et nitro repurgato, compoſitum, quotidie mane et veſperi ſumeret, dum naevus priſtinum ruborem recuperaret. Neque dubito, quin in commendatis hiſce remediis tutam morborum ſibi imminentium prophylaxin ſit inventurus.

III.

LACUNA

IN JOH. LANGII EPISTOLIS MEDICINALIBUS EXPLETA.

In noviſſima rarioris hujus operis editione, Hanoviae typis Wechelianis 1605. in 8. excuſa. *Lib. I. Epiſt. V. pag.* 28. *lin. ult.* haec leguntur: *Ex his judex, quis, et qualem commeruerit poenam.* Verba non nulla per typographi in-

incuriam excidiſſe, manifeſtum eſt. Quae ita ſupplenda ſunt, ut poſt vocabulum *poenam* addas: *facile decernere poteſt.* Ita enim exſtat hic locus in antiquiore editione, primum tantum Epiſtolarum librum continente, quae Baſileae ex officina Oporiniana 1554. in 4. prodiit *a*).

IIII.

a) Quum in perpaucorum manibus rariſſimam hanc editionem verſari ſciam, non dubito, quin amatoribus *Epiſtolarum* LANGIANARUM, quas eruditiſſimus JOH. RHODIUS in *Introduct. ad Medicin.* CONRINGIANAE *introductionis in artem medicam*, curante GUNTHERO CHRISTOPHORO SCHELHAMMERO Hal. et Lipſ. 1726. editae, *parti poſteriori* inſerta, *pag.* 148. optimas et omnino legendas jure adpellavit, haud ingratum ſim facturus, ſi Auctoris praefationem, in editione Hanovienſi omiſſam, ex illa huc tranſcripſero:

JOAN. LANGIUS LECTORI AMICO SALUTEM.

Ornat magnifico theſauri nomine libros,
Quo pluris vendat, bibliopola ſuos.
Eſt liber, Heſperidum qui ſpondet mala ſororum,
Quaeque ferat cornu Copia dives opum.
Eſt, qui Pactoli fulvas promittit arenas,
Aurea Colchorum vellera ſpondet ovis.

Haec

IIII.

CICUTÆ EXTRACTUM.

ET ſibi, et aliis, primus eſſe videtur Ill. Aulae Vindobonenſis Archiater, ANTONIUS STOERCKIUS, qui cicutae extractum adhibuerit. Sed diu jam ante ipſum

Haec ſi cuncta darent aegrotis munera vates,
Addat et immenſas Croeſus avarus opes:
Si tua Tantalea cruciat praecordia poena
Hydrops, aut febris maceret illa ſiti:
Nonne tui Medico reſerares ſcrinia Ditis,
Qui te Plutonis faucibus eriperet?
Iro pauperior malles tu degere vitam,
Quam gelida dives morte perire miſer?
Iſte liber, nullo tituli ſplendore decorus,
En! pro divitiis dogma ſalubre dabit:
Quo pacto incolumem poſſis traducere vitam,
Soſpes Neſtoreos et ſuperare dies.
Artis Apollineae cunctis notha dogmata pandit,
Et quonam Medicus gaudet apella dolo:
Et qua chirurgus curare tyrannide morbos
Ignotos audet, diſſitaque oſſa locat.
Sicut edax Tityi diſcerpit viſcera vultur:
Clyſmate ſic linguam vellicat ἐν συνόχοις.
Si articuli vulnus phlegmon obſederit ardens,
Ne putreant nervi, pharmaca nullus habet.
Sunt veteratores Medici, ſycophantae et agyrtae,
Qui phaleris populum fallere nempe ſtudent.
Iſta philargyriae poſſedit pectora daemon,
Quae rugis cogit turpe parare lucrum.
Horum letiferas quaeris diſcernere fraudes?
Judicio prudens, haec paradoxa legas.

ipſum uſurpatum illud fuiſſe, didici ex V. C. CHRIST. GODOFR. STENTZELII *diſſ. de anodynorum virtutibus venenorum, Viteberg.* 1735. *hab.* §. *XXIII. pag.* 32. ubi ita ſcribit: *Ipſemet cognitum perſpectumque habeo Medicum, qui cicutae extracto frequenter, cum exoptato eventu, in aſcitis cura, uſus fuit.*

V.

PICA GRAVIDARUM.

Mulier gravida, ad nundinas in oppidum vicinum profecta, tabernam ſalſamentarii forte praeteriens, halecum odore naribus objecto, inexpugnabili illarum deſiderio corripitur. Emit aliquot ſupra viginti, et tres quatuorve ſtatim e veſtigio comedit, reliquas in fiſcella, quam ſecum geſtabat, recondens. Erant in eadem calcei ex corio vitulino, quos filiae ſuae emerat. Dum domum redit, in via non haleces tantum ad unam omnes, una cum charta, in qua involutæ erant, ſed calceos etiam, quatenus muria eos imbuerat, avidiſſime devorat, nulla inſequente noxa.

Aliam

Aliam novi mulierem, quae, quoties et quam diu utero gerit, tanto in fabas coffeae toſtas adpetitu fertur, ut ſaepius de die integros illarum manipulos deglutiat, nec domo umquam exeat, quin ſacculos ſuos iis probe repleverit. Etiam huic nihil inde accidit incommodi.

VI.

MENSES IN VETULIS.

Novi mulierem, ſexaginta ſeptem annos jam habentem, cui catamenia decimo ſexto aetatis anno prima eruperunt, et adhuc rite fluere pergunt, nec non aliam, cui fluxus iſte quinquageſimo demum nono aetatis anno ceſſavit.

VII.

MELANCHOLIA ASTU SANATA.

Viro cuidam melancholico perſuaſum erat, ſe pedum paralyſi laborare: cui quoque opinioni convenienter ſe gerebat, lecto continue adfixus. Varia adhibebantur remedia, phyſica aeque, ac moralia, ſed in caſſum omnia. Tandem uxori

ri non nemo ſuadet, ut ipſum, altiori ſomno obrutum, ex improviſo inclamet, praeſentiſſimique cujuſdam periculi metu percellat. Dicto illa audiens, marito, quo magis ſopiatur, in coena paullo largiorem vini generoſioris copiam dat potui. Media nocte, ſatis arcte dormire viſum, ingenti cum clamore excitat, hortans, omni feſtinatione fugam properet, aedes incendio eſſe correptas. Perterritus ille derepente e lecto proſilit, trepidanſque foras ex cubiculo ſe proripit. Atque ita a morbo diuturno in ictu quaſi temporis liberatus eſt.

VIII.

SOLOECISMUS LITTERARIUS.

Quidam e pharmacopolio Medicus, orto de ſcriptoribus pharmaceuticis ſermone, mire laudabat AUGUSTANUM. Mihi vero, in bibliognoſia medica mediocriter verſato, nec ullius, qui id nominis habuerit, recordanti, ſtatim de ſoloeciſmo aliquo litterario ſubnata eſt ſuſpicio Inquirens igitur de libri inſcriptione, forma, aliiſque momentis, intellexi, hominem imperitum de *diſpenſatorio*, ſive

phar-

macopoea Auguſtana loqui, opinantem fortasſis, ut *pharmacopoea Bateana* auctorem BATEUM aliquem habeat, ſic illam ab erudito quodam Viro, cui AUGUSTANO nomen fuerit, eſſe concinnatam *a*).

VIIII.

SUTURA CRANII SAGITTALIS.

Quam plures jam obſervarunt ſuturam calvariae ſagittalem, per coronalem et frontem medias ad naſi radicem uſque pertinentem, mihi quoque in duobus hominum adultorum craniis videre contigit, quo-

a) Plures hujus commatis errores, a Medicis commiſſos, collegi in *Variis* meis *Lectionibus*, quarum jam feci mentionem in *praefatione ad* PETRI APOLLONII COLLATINI *carmen de duello Davidis et Goliae*, *cum* V. C. CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI *et meis emendationibus atque illuſtrationibus Tubingae* 1761. *in* 4. *editum.* Reſervare autem illos conſtitui, dum Duumvirorum litteratiſſimorum, MICHAELIS LILIENTHALII et JOH. GEORGII SCHELHORNII *de ſoloeciſmo litterario* commentationes cum Analectis meis recudendas olim curabo.

quorum alterum adſervarat meus in Univerſitate Tubingenſi ſtudii medici commilito, GEORGIUS BERNHARDUS BILFINGERUS, civitatis patriae Groninganae nunc Poliater.

X.

MALA VENTRICULI CONFORMATIO.

In theatro anatomico Tubingenſi, in quo Profectoris ſpartam ſumma cum laude hodie ornat vetus Amicus meus, JOSEPHUS GAERTNERUS, Medicinae Doctor, et Societatis ſcientiarum Londinenſis Collega meritisſimus, vidi aliquando extractum e cadavere feminae, capite plexae, ventriculum, qui, flatu diſtentus, medium corpus perfecte teres, ſine ullo arcuum veſtigio, plane in formam cylindri alicujus, exhibebat. Erat idem tenuisſimum et ita anguſtum, ut diameter ipſius plus dimidia parte naturali minor eſſet.

Dubium mihi non eſt, quin femina iſta per depravatam hanc ventriculi ſui ſtructuram variis moleſtiis, ut cardialgiae, nauſeae, vomitui, fuerit obnoxia. Acmiror, Ill. BOISSIER de SAUVAGES in *Noſologia*

ſua *methodica* hoc morborum iſtorum principium ſicco plane pede tranſire, quum tamen jam diligentisſimus FORESTUS *a*) in ſtomachi adfectibus hujus anguſtiam et rotunditatem adcuſaverit.

Niſi vehementer fallor, aut alterutro, aut utroque vitio, laboravit ventriculus Viri cujuſdam quadragenarii, qui quantum memoria repetere praeterita potuit, hac adflictus fuit moleſtia, ut, quoties vel eam tantum ciborum copiam ſumeret, quam reliqui, una prandentes, vel coenantes, duplo etiam majorem, impune ferebant, illico male haberet, eamque vomitu remetiri cogeretur. Sexcentis jam Medicorum et Medicaſtrorum, ventriculi imbecillitatem adcuſantium, remediis fruſtra uſo, dedi ex FORESTO conſilium, ut cibos concoctu faciles frequentius, ſed parce et reſtricte, caperet: cui quidem quoad paruit, a vomitu illo immunis manſit.

XI. VO-

a) *Obſervat. et Curat. med. Lib. XVIII. Obſ. XXXIIII. et in Schol.*

XI.

VOMITUS EX SCIRRHO VENTRICULI.

Quemadmodum vomitus pertinax non numquam ex vitio ventriculi congenito, ita longe frequentius ex adventitio accidit. Duo exempla ipſe obſervavi. Femina Tubingenſis, provecta jam aetate, per longum tempus omnia ingeſta rejectans, fruſtra tentatis optimis auxiliis, tandem obierat. Aperto cadavere, ventriculus erat collapſus et valde contractus, inciſuſque totum fundum ſcirrhoſum, crasſisſimum, vix cultri anatomici acie penetrabilem, exhibebat. Suſpicabantur, ex vini lithargyrio adulterati, potu malum iſtud fuiſſe contractum. Nuperrime vocabar in pagum Naaldwyk, duarum horarum itinere ab Haga Comitis diſtantem, ad mulierem quinquagenariam, ſimili vomitu a ſedecim jam hebdomadibus adfectam. Intima profecto miſeratione permovebar, quum illam imbecillitate et macie penitus confectam, vixque amplius ſemivivam, conſpicerem. Adcuratiorem et veriorem ejus proſopographiam non dedero, quam ele-

elegantisſimis hiſce OVIDII *a*, verſibus:

Oſſa ſub incurvis extabant arida lumbis,
Ventris erat pro ventre locus, pendere putares
Pectus, et a ſpinae tantum modo crate teneri:
Auxerat articulos macies, genuumque rigebat
Orbis, et immodico prodibant tubera talo.

Varia adhuc adhibita fuerant remedia, etiam plane ἀπροσδιόνυσα. Aliquis enim medentium aegrotam phthiſi pulmonari laborare dixerat, ſola, credo, corporis extenuatione, inductus, ſi quidem per univerſum morbi decurſum nulla umquam tuſſis, nulla anacatharſis, nullum denique aliud phthiſeos ſignum ſeſe manifeſtaverat. Vomitus numquam oboriebatur, niſi ſi quid cibi, vel potus, adſumſiſſet. Quam diu jejuna manebat, ne niſum quidem vomendi experiebatur: ſimul verò, ac, fame vel ſiti preſſa, quidquam deguſtaverat, ſtatim recrudeſcebat vomitus. Potulenta et eſculenta molliora citius, ſaepe vix quarta horae parte interiecta, ſolidiora ſerius, plerumque poſt tres demum horas, multa pituita tenui admixta, reddebantur. Alvus fere clauſa erat, et, ſi quando deponebatur, paucula dumtaxat σκύβαλα, eademque duriſſima, nigerrima, excernebantur. Lotium craſſum et obſcuro rubore tinctum erat. De reliquo nuſquam cor-

a) *Metamorph. Lib. VIII. ſub fin.*

corporis quidquam doloris ſentiebat. Trutinatis perpenſisque omnibus momentis, principium hujus vomitus vitium aliquod in ſolidis ventriculi, et nominatim quidem pylori, eſſe, pro comperto habebam. Et quamvis, aegrota jejuno ventriculo ſupina genibuſque flexis explorata, nihil duritiei in ejus regione deprehenderetur, quod pylori calloſi, vel ſcirrhoſi, ſignum Ill. BOISSIER de SAUVAGES *b*) perhibet: reliqua tamen ita comparata eſſe mihi videbantur, ut nullum dubitationi locum relinquerent. Quorſum accedebat, quae ſuo apud me jure magna eſſe debet, Viri ſummi, FRIDERICI HOFMANNI *c*) auctoritas, qui fere regulae inſtar ponit, eos, qui diu, maxime a ſumtis epulis, vomuerint, pylorum habere male conſtitutum. Morbum, quod aegra ad incitas jam erat redacta, pronuntiavi inſanabilem. Quod ſi vires paullo magis conſtitiſſent, cicutae extractum tentaſſem. Neque enim dubito, quin vomitus iſti pertinaces, quos Ill. STOERCKIUS *d*) tam feliciter eo perſa-

 na-

b) *Noſolog. method. Tom. III. Part. II. pag.* 109.

c) *Medicin. ſyſtemat. Tom. IIII. Part. III. Sect. II. Cap. VI.*

d) *De cicuta Libell. ſecund. Cap. II. Caſ. XXV.* et *Supplem. Caſ. V.*

navit, a ſimili principio orti fuerint. Sed nolebam illud in perditiſſima re adhibere, ne optimum remedium, ſatis oſorum atque obtrectatorum jam habens, diffamaretur. Suadebam tantum, ut pro cibo lacte et carnium juſculis uteretur, ad ſitim autem fallendam aquam gelidam cum ſucco limonum et pauco ſaccharo per cochlearia hauriret, nihil pharmacorum praebens, niſi pilulas, ex ſapone veneto confectas, quarum non nullas, ad acidum in ſtomacho abſorbendum, lactiſque coagulum præpediendum, aliquoties de die deglutiret. Protrahebat hac ratione vitam miſerrimam per unam adhuc alteramve hebdomadem, donec placide exſpiraret. Cadaveris inciſio, quod quam maxime doleo, impetrari non poterat.

XII.

STERILITAS EX UTERO CALLOSO.

Eadem femina Tubingenſis, cujus in praecedente Obſervatione mentionem feci, in ſterili vixerat conjugio. Avidi itaque cognoſcendi, num quod in ipſa fuerit conceptionis impedimentum, organa ge-

genitalia curioſius perluſtrare occoepimus. Externa juxta cum vagina omnis omnino vitii erant expertia. Uteri vero os univerſum cum inſigniore cavi continui parte conjunctis inter ſe oris occalluerat.

Cadit hinc dubium Viri eleganter docti, JOH. HENRICI SCHULZII *a)* ita ſcribentis : *Commemoratur etiam ab Auctoribus ipſius oſculi uteri coalitus, qui an umquam vere inventus fuerit cauſa retentorum menſtruorum, aut ſterilitatis, fuiſſe, nullibi fidis obſervationibus conſignatum deprehendo.* Utrum catamenia noſtrae olim fluxerint, nec ne, reſcire non potui.

XIII.

MENSES POST PRIMUM PARTUM DEMUM ERUMPENTES.

Femina honeſta, maritata, quadraginta circiter annorum, de variis conquerebatur moleſtiis, quarum cauſam in catamenia ſuppreſſa conferebat, petens a me, ut fluxum eorum idoneis remediis ſibi reſtituerem. Interrogans de ſuperiori illorum

a) Patholog. ſpecial. Adpend. de morb. mulier. et infant. Sect. I. Subſect. I. §. XXXXVIIII. pag. 16.

rum ſucceſſu, rem miram ex illa audiebam. Narrabat quippe inter alia, menſes ſe, quouſque innupta vixerit, numquam expertam, at nihilo tamen minus illibata ſemper corporis animique ſanitate gaviſam fuiſſe. Annos duodetriginta natam viro nupſiſſe, ſtatim ex eo concepiſſe, ſuoque tempore feliciter peperiſſe. Ablactato infante, demum fluxum menſtruum primum ſibi accidiſſe.

Erunt fortaſſe, qui in partibus feminae hujus genitalibus praepedimentum aliquod eruptioni catameniorum obſtitiſſe indicent, quod prima coitione, quae acerrima eſſe ſolet, amotum fuerit Sed hos conſiderare velim, num iſtius modi obſtaculum cogitare liceat, quin vel animus, vel corpus, vel utrumque ſimul, graviter inde adficiatur.

XIIII.

ALVUS PIGRA.

IN Univerſitate Tubingenſi quemdam Theologiae Studioſum noveram, qui per menſem quater tantum alvum exonerabat, & conſtanter quidem eodem hebdomadis die, qui, ſi recte memini, Mercurii

curii fuit. Adfirmabat, quoad longiſſime poſſet mens ſua reſpicere ſpatium praeteriti temporis, et pueritiae memoriam recordari ultimam, ea ſe alvi pigritia laboraſſe. De reliquo nulla in ſanitatem inde redundabat noxa. Ceterae etiam excretiones, in quod curioſe inquirebam, non erant conſpicue largiores. Sedes autem ſemper fuerant copioſiſſimae, et bene compactae.

XV.

MANUS MEDICORUM.

Quum in omni erudito non minimam commendationem mereatur ſcita et luculenta ſcriptio: tum haud ſcio, an neminem magis deceat, quam Medicum. Facile enim accidere poteſt, quod reapſe jam accidiſſe ab aliis memoriae proditum eſt, ut negligentiore ſcriptione aegrotis ſummum periculum, vel ipſam adeo mortem, ſibi autem certiſſimum famae diſpendium, arceſſat. Novi quemdam, qui in electuario purgante, binis vicibus capiendo, inter alia pulveris radicis jalappae drachmam dimidiam praeſcribens, hujus characterem ita ambigue pinxerat, ut phar-

macopola unciam dimidiam admiſceret, et aegrotus, dimidia medicamenti parte ſemel ſumta, in gravisſimam hypercatharſin incideret. Et pharmacopoeus quidam mihi retulit, in officinam ſuam aliquando veniſſe Medici cujusdam anagraphen, qui nitrum antimoniatum in miſtura quadam praeſcripſerit. Tam negligenter autem exaratam fuiſſe litteram *n*, ut tiro ſuus, cui miſturae praeparationem, ipſe cum famulo aliis negotiis occupatus, reliquerit, pro nitro antimoniato vitrum antimonii legeret. Propitiae autem cujuſdam fortunae interventu eveniſſe, ut pyxis, in qua pharmacum iſtud reconditum fuerit, ab illo reperiri non poſſet. Se, morae tam longinquae impatientem, tandem ex eo quaeſiviſſe, quid tam diu quaereret, eoque audito, errorem, qui aegroto dubio procul letalis fuiſſet, in tempore adhuc praecaviſſe.

Inter varios et multiplices philothecarum uſus praeſtantem hunc atque eximium eſſe merito putat Anonymus quidam, T. S. B. *a*) quod in iis exempla manuum eruditarum conſerventur. Novi hinc quoſdam, qui

a) In *MICHAELIS LILIENTHALII Select. Hiſtor. et litterar. Tom. II. Obſ. IIII. §. III. pag.* 264.

qui illas, undecumque poſſunt, curioſo inſtituto hunc in finem conquirunt, et grandi ſaepius pretio ab heredibus poſſesſorum redimunt. Licuit mihi olim tam felici eſſe, ut philothecam JOH. SCULTETI *b*) clari illius Medici et Chirurgi Ulmani, ad cordylas et piper jam damnatam, et plus dimidia ſui parte mutilatam, ex profanis rudis alicujus aromatarii manibus eriperem, cujus reliquias, mihi vere ſacras, cum non nullis aliis Virorum eruditorum autographis, inter κειμήλια ſupellectilis meae librariae refero. Praeter alios, inter quos JOH. RHODIUS eminet, ſua ibi nomina inſcripſere, qui in Lyceo Patavino anno 1624 Artem ſalutarem docuerunt, Profeſſores, ANDRIGHETTUS ANDRIGHETTIUS, FORTUNIUS LICETUS, FRANCISCUS DOMINICUS SALA, JOH. PREVOTIUS *c*), FRANCISCUS BONARDUS

b) Verum ipſi nomen fuiſſe teutonicum SCHULTES, quod faeculi ſui more in barbare latinum SCULTETI poſtea mutare maluit, ex ipſa hac philotheca cognovi.

c) Vulgo in libris hujus nomen per diphthongum *æ* exprimitur: ſed ipſe illud manifeſto per vocalem (*e*) ſcripſit.

DUS, et BENEDICTUS SALVATICUS (*d*), quorum manus immane quantum inter ſe diſcrepant. LICETI (*e*) quidem litterae, quod in polygraphis, qualis ille fuit, oppido rarum eſt, elegantiſſimae ſunt

d) Ita nomen ſuum ipſe expreſſit, non SILVATICUS, aut SYLVATICUS, qua ſcribendi ratione pleroſque omnes uti video.

e) Pro corollario, Lectoribus, ut ſpero, non ingrato, teſtimonia heic ſubjiciam, quibus SCULTETUS noſter a Praeceptoribus ſuis Patavinis ornatus eſt. *Doctiſſimum et bene meritum de honoribus, quum philoſophicis, tum medicis*, adpellat ANDRIGHETTIUS. *Auditorem ſuum cariſſimum* PREVOTIUS, *doctisſimum et ſtudioſiſſimum Artium et Medicinae Doctorem* SALVATICUS: *admirandum ac imitatione dignum ſuae virtutis teſtimonium in ſtudioſorum animis Patavii relinquere* teſtatur BONARDUS: *ejus virtutem, et in ſtudiis philoſophiae et medicinae adſiduam operam, noſſe Patavinum Gymnaſium, doctrinam et operam jam experturam eſſe patriam*, SALA ſcribit. RHODIUS vero *Anatomes et Chirurgiae peritiſſimum*, et JOH. THUILIUS, Philoſophiae et Medicinae Doctor, et humaniorum litterarum Profeſſor primae cathedrae, *rerum anatomicarum et chirurgicarum indefeſſum ſcrutatorem nominat.*

ſunt. Eamdem laudem magis etiam merentur RHODIANÆ. De ANDRIGHETTIANIS autem vere uſurpes illud PLAUTINUM:

An, obſecro, hercle, habent quoque gallinae manus? Reliqui, ſi PREVOTIUM, ſatis concinne ſcribentem, eximium feceris, lutulentiore, quam luculentiore, uſi ſunt ſcriptione *e*).

XVI.

HYDARTHRUS SYNOVIALIS.

Coriarius quidam, Delphis habitans, jam diu in articulo genu ſiniſtri tumorem gerebat mollem, pallidum, frigidum. Moto articulo, ſeri collecti fluctuatio manifeſte percipiebatur. Difficulter inde, nec ſine dolore, pes movebatur. Quum varia remedia, interna pariter, atque externa, fruſtra fuiſſent adhibita, tandem in auxilium vocatur uxoris meae frater, D. VILHELMUS HENRICUS MOESNERUS, tum temporis in iſta Civitate praxin medicam exercens, ſuperiori autem anno a Nobiliſſima Coloniae Surinamenſis Societate Noſodochii Paramaribenſis et copiarum Surinamenſium Medicus

cus ordinarius conſtitutus, rerum chirurgicarum adprime peritus. Adplicat is emplaſtrum ſuum, quod vocabat, diſſipans, et aeger intra tres quatuorve hebdomadas, tumore paullatim reſoluto, penitus convaleſcit. Viſo eximio prorſus emplaſtri effectu, eum rogavi, ut compoſitionem illius mecum communicaret: id quod etiam perlubenter et candide fecit. Conſtat ex ſolo gummi ammoniaco optimae notae, quod in aceto vini acerrimo, vel, quod praeſtat, ſcillino ſolvitur, ſolutumque ad juſtam emplaſtri conſiſtentiam ſpiſſatur. Ipſe, ſimplicisſimo hoc emplaſtro ſaepiuſcule adhuc uſus, bona fide teſtari poſſum, in disſipandis tumoribus duris, ſcirrhiſque ac ſcrofulis, vetuſtate non dum confirmatis, par illi nihil eſſe, aut ſecundum. Commendari nominatim meretur adverſus tumores teſticulorum, ex gonorrhoea, quam vocant, in ſcrotum delapſa, ortos, in quibus reſolvendis plane egregie ſe gerit. Scio quidem, bono cum effectu iſtis etiam adplicari emplaſtrum de ranis cum triplo vel quadruplo mercurii: ſed, an uſus hujus ſatis ſit tutus, vehementer me dubitare profiteor. Experientia edoctus monet Ill. Archiater Trevirenſis,

SA-

SALENTINUS ERNESTUS EUGENIUS COHAUSEN *a*), *teſticulis numquam imponenda eſſe mercurialia, quoniam frigiditatem et certam ſterilitatem inferre obſerventur.* Et JACOBUS OETHÆUS *b*) nobilis cujusdam adoleſcentis mentionem facit, qui, ad depellendos pubis pediculos, ſive morpiones, a chirurgo unguentum, ex argento vivo confectum, acceperat, ſed, eo aliquoties illito, *membrum virile plane frigidum, ac torpidum, et ad Venerem plane ineptum*, ſenſerat. Mihi ipſi notus eſt vir, qui, quum ſemper antea uxoris deſiderio ſatis abundeque feciſſet, poſt teſticulum venereum, ex impuro cum meretrice concubitu, contractum, emplaſtrique illius uſu, vel abuſu potius, a tonſore curatum, ἄπρακτα μόρια doluit, malam tonſori quidem peſtem imprecans.

XVII.

a) *Europ. Arcan. med. Vol. II. pag.* 268.
b) *In* JOH. SCHENCKII *Obſervat. Med. rarior. Lib. IIII. Cap. de impotentia venerea Obſ. II. pag* 533. *col.* 13. *edit. Francof. ad Moen.* 1665. Unde illam hiſtoriam tribus repetiit celebratiſſimus GEORGIUS ERNESTUS STAHLIUS in *diſp. de impotentia virili. Hal. Magd.* 1697. *hab. ibidemque* 1707. *recuſ.* §. *XXVI.*

XVII.

FEBRIS LENTÆ SANATIO FORTUITA.

Adoleſcens, quindecim circiter annos natus, pancratice antea valens, ab aliquo tempore ſine ulla cauſa manifeſta palleſcere, delaſſari, emaciari coeperat. Accedebant anorexia, polydipſia, febricula veſpertina, ephidroſis nocturna. Optima ab optimo Medico exhibebantur, et ab aegroto adcurate adhibebantur, remedia. Tantum vero aberat, ut melius inde haberet, ut potius res ipſius in dies in deterius ruerent. Statuebat igitur a pharmacis penitus abſtinere, ac, quam diu vitam adhuc protrahere ſibi liceret, genio liberalius indulgere. Quid fit? Quum vinum meracum aliquando in ſympoſio, cum aequalibus celebrato, ſine modo ingurgitaſſet, vomitu id remetiri cogitur, unaque cum eo tres lumbricos teretes praegrandes vivos rejectat. Exhalata crapula, mire adlevatum ſe ſentit, et paucorum dierum ſpatio in totum convaleſcit. Mirum eſt, aegrotum numquam de gaſtralgia, vel enteralgia, conqueſtum eſſe.

XVIII.

VARIOLÆ SALUTARES.

Auxilio non numquam eſſe variolas, adnotavit doctiſſimus LUDOVICUS GOTTFRIDUS KLEINIUS *a*), idque duobus confirmat exemplis, quorum unum caecitatem biennem, ex achoribus inductam, iis ſuperatam, alterum teſticuli ſiniſtri tumorem vegrandem, durum, frigidum, ex conquaſſatione ortum, iiſdem diſcuſſum, ſiſtit. Mihi ipſi, in Univerſitate Tubingenſi adhuc verſanti, noti fuerunt duo fratres germani, litterarum ſtudioſi, quorum natu major, vicenarius, hypocophoſi, minor, ſeptemdecim annos habens, aſthmate moleſtiſſimo laborabat. Corripiebantur uno eodemque tempore variolis, epidemice intra et extra pomoeria urbis tum graſſantibus. In ipſo harum vigore, a priſtinis morbis derepente liberabantur, nec quod ſciam, in eos poſthac recidebant *b*).

XVIIII.

a) *Interpr. clin. pag.* 293.

b) Conf. *Nova litteraria Tubingenſia* (Berichte von gelehrten Sachen) An. 1755. *pag.* 65. *ſeq.*

XVIIII.

TUMOR FUNGOSUS, SUPPURATIONE SANATUS.

Anus quaedam, quæ tumorem fungoſum, genu dextri patellae inſidentem, per complures annos geſtaverat, ex ſella, in qua ſteterat, delapſa, illum ipſum pavimento, lapidibus ſtrato, graviter adlidebat. Contuſio, a Chirurgo perperam curata, abibat in gangraenam. Epidermis hinc inde jam in veſiculas elevari coeperat, quae diſruptae, ichorem tenuem, flaveſcentem, foetoris non omnino expertem, fundebant, aegra interim vehementiſſimos dolores perpetiente. Praeſcribebam extemplo fotum, ex ſpeciebus decocti nigri *a*) cum aceto vini acerrimo parandum, et linteis quadruplicatis, addita ante adplicationem aqua vitae camphorata, parti contuſae admovendum, ſingulisque duabus horis renovandum. Interne octies per νυχθήμερον exhibebatur pulveris corticis peruviani ſelectioris drachma dimidia. Itaque ſen-

a) Deſcriptio harum ſpecierum extat in *Pharmacop. Wirtemberg. Part. II. pag.* 170. *col. A.*

ſenſim ichor iſte evadebat ſpiſſior, albidior, et tandem optimae notae pus generabatur, quod tam diu manare pergebat, dum totus fungus eſſet abſumtus: quo facto, ulcus ſua propemodum ſponte conſolidabatur, ne minimo quidem amplius adparente tumoris illius veſtigio.

XX.

COLICA EX ESU CANCRORUM FLUVIATILIUM.

Litteratus quidam, mediae aetatis vir, ex hereditate podagricus, inde a puero cancros fluviatiles ſine ulla noxa comedit: ex eo vero tempore, quo primum podagrae inſultum paſſus eſt, quotieſcumque vel unum juſculi, ex illis praeparati, cochlear haurit, toties exquiſitis coli doloribus diſcruciatur, qui, accedente demum diarrhoea, tolluntur. Suaſi, ut iis comeſtis, ſuccum citri, vel potius acetum, ſuperbiberet, et magnum levamen inde percepit.

An confirmatur hinc SYDENHAMIANA et BOERHAAVIANA opinio, originem podagrae proximam a debilitate et

 langu-

languore viſcerum, digeſtioni inſervientium, eſſe repetendam?

XXI.

ACETUM OPII ANTIDOTON.

Infanti, ex dentitione difficili agrypnia laboranti, vetulae medicaſtrae ſuaſu, ſub veſperam exhibita fuerat requies Nicolai, theriaca infantum vulgo adpellata. Dormierat inde infans per totam noctem, magno cum parentum gaudio, quibus vagitus illius diu moleſti fuerant. Sed, quum inſequentis diei hora quarta pomeridiana non dum evigilaſſet, neque ulla ratione excitari poſſet, jure metuebant, ne aeterno ſopore opprimeretur. Anxii igitur me arceſſebant, rem geſtam exponentes. Praecipiebam, ut illico et ſine mora acetum vini acerrimum calefactum ſpongiarum ope univerſo capiti, in primis naribus, continenter admoverent, ejuſdemque, aqua ſaccharata temperati, guttulas aliquot ori ſubinde inſtillarent. Quo ſtrenue facto, infans ſemianimis (neque enim, praeter arteriarum pulſum, ulla obſervare licuerat vitae phaenomena) poſt horam

horam circiter dimidiam paullatim ad ſe redibat, et poſtridie in integrum erat reſtitutus : cui tunc, ad acidum in primis viis delendum, alvique libertatem revocandam, magneſiam albam genuinam, ſirubo cichorii cum rhabarbaro mixtam, praeberi jubebam.

XXII.

ERROR MEDICI,

EX IGNORANTIA LINGUÆ GRÆCÆ NATUS.

Vir quidam celebris, cujus nomini lubens meritoque parco, in libro quodam utiliſſimo, ab ſe edito, haec ſcripſerat: *Ephiſtemi idem ſignificat, quod paraſtatae.* Quae legens, vocem *ephiſtemi* graecae originis eſſe oportere, propter litteras *ph* dubitare non poteram Non ignorabam verbum ἐφίστημι, ſed ſuſpicari non audebam, illud a ſcriptore in nomen ſubſtantivum eſſe mutatum. Interim tamen re vera facta erat haec μεταμόρφωσις. Aliquanto enim poſt, aliud quid in *Lexico medico* CASTELLIANO qaerens, forte in haec verba, ibi extantia, incidi: EPHISTEMI, ἐφίστημι. *Vid.* PARASTATÆ. Quae qui-

 dem

dem ille dubio procul ob oculos habens, nec ſatis intelligens, vocabulum *ephiſtemii* nomini ſubſtantivo *paraſtatae* συνώνυμον eſſe opinatus eſt.

XXIII.

CALOR ET SUDOR DIMIDII CORPORIS.

Quum nuper in JOH. SCHENKII *Obſervationibus medicis rarioribus* a) hiſtoriam legerem Monialis, *cui, quotieſcumque balneum ingrediebatur, aut levi aliquo exercitio corporis utebatur, toties inſignis quaedam rubedo in dextro latere a fronte uſque ad pedes ſuboriebatur, ſiniſtro naturalem omnino colorem ſervante:* hanc igitur quum legerem, in mentem mihi venit pueri cujuſdam Tubingenſis b) ſaepius

a) *Lib. V. Cap de cute. Obſ. V. pag.* 699. *col. A.*

b) Mentionem hujus jam fecit D. GEORGIUS FRIDERICUS SIGVVARTUS, Anatomes et Chirurgiae Profeſſor Tubingenſis, in mirifice lepida *Epiſtola de homine in ſingulari duali, nec diſſyllabo tantum et bipede animali, ut vulgaris fert*

pius a me viſi, qui, quoties incaleſcebat, in ſingulis dextri lateris partibus a capite ad calcem uſque rubore, madore, et ſudore, perfundebatur, in ſiniſtro interim latere nullam, neque coloris, neque caloris, mutationem patiens, ita quidem, ut, jucundo prorſus ſpectaculo, in facie, frontis, naſi labiorum, menti, *cet.* partes, examuſſim dimidiatas, verſus dextram calidas, rubicundas, madidas, verſus ſiniſtram

fert fama, ſed ſupra vulgi captum toto ancipiti et duplici, neque vel ibi ſimplici. ubi videtur ſimplex et ſimpliciſſimus, novo dichotomiae anatomicae ſpecimine dualiſtico conſpectiori facto, qua veteri et ſincero Amico noſtro, CAROLO PHILIPPO DIEZIO, tum temporis deſignato copiarum Circuli Suevici Medico caſtrenſi, nunc Sereniſſimi Ducis Virtembergici Auliatro meritiſſimo, Doctoris in Arte ſalutari honores gratulatus eſt, Tubingae 1762. edita, hujuſque *de aëre et alimentis militum, praecipuis Hygienes militaris momentis, diſputationi inaugurali* ſubjecta, *pag.* 12. *numeris mea manu adſcriptis.* Aliam hiſtoriam, iisdem paene verbis conceptam, idem narrat in *diſp. de polyaemiae noſologia. Tubing.* 1756. *hab.* §. *CXXX.* ut parum abſit, quin eamdem eſſe credam, tametſi poſterioris heroëm virum mediae aetatis faciat.

ſtram autem frigidas, pallidas, ſiccas, conſpicere liceret.

XXIIII.

CORTICIS PERUVIANI ODIUM.

Aliquot abhinc annis quidam Medicinae Candidatus commentationem de febre illa perniciosa, quae *tritaeophia carotica* ab Ill. BOISSIER de SAUVAGES a) adpellatur, conſcripſerat, ſpeciminis inauguralis loco pro roſtris academicis publice defendendam. De therapia morbi cum Ill. WERLHOFIO, TORTI, innumeriſque aliis, ſumma eruditionis verae gloria conſpicuis Viris, praeceperat, eam a cortice peruviano repetendam, et *hujus, ſubtiliſſime pulveriſati, drachmam unam, vel ſolam, vel, ad blandiendum aegrotorum palato, cum ſirupo quodam verbi gratia, cardui benedicti, vel acetoſitatis citri*, cet. *in bolum transformatum, ſecunda quaque, vel tertia hora, intercalari tempore exhibendam*,

a) *Noſolog. method. Tom.. II. Part. I. pag.* 298.

dam, idque ad plenam uſque paroxyſmorum ceſſationem continuandum eſſe. Medico, chartarum manu ſcriptarum cenſori, lectis hiſce,

atra continuo bile tumet iecur.

Delet illa funditus, nihilque niſi hoc, ſubſtituit: *urgente periculo, febrifuga adhibenda eſſe.* Mirans ſuo jure Candidatus, quod ea, quae ſaepe

dat veniam corvis, vexet cenſura columbas,

cenſorem decentiſſime rogabat, ut auſi iſtius rationem reddere dignaretur. Sed omnia, quae hic reſpondebat, unice ad illud JUVENALIS *b*) redibant:

Hoc volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas.

Ille vero, bonae cauſae ſibi conſcius, cenſorisque auctoritate ea ſtantum, quae pietati adverſus Deum, ſecuritati rei publicae et bonis moribus adverſentur, prohiberi poſſe, compertum habens, verba ſubſtituta, quidem retinuit, ſed iis priſtina ſua, inſcio et invito cenſore, reſtituta, ſubjunxit.

Clarus quidam Vir, idemque juſtus corticis peruviani aeſtimator, cui hanc

b) *Sat. VI. verſ.* 223.

hiſtoriam aliquando retuleram, odium iſtud *ἐκ τήλου ου κατ᾽ ἐπίγνωσιν* profectum eſſe, veriſſime judicabat, ſuſpicans ſimul, cenſorem haereſi STAHLIANÆ eſſe addictum, quam inexorabili divini remedii odio flagrare, vel lippae et tonſores norint. Sed valde obſtupeſcebat idem, quum eum nominarem, a quo STAHLIUM ejuſque adſeclas indigniſſimis atque inſulſisſimis ſcommatibus pasſim adlatrari meminerat.

XXV.

SCIRRHUS UTERI EXULCERATUS.

Mulier quaedam ab aliquo tempore excruciabatur ſaeviſſimis doloribus lumborum, inguinum, abdominis, et praecipue infimi ventris. Aderant pallor, laſſitudo, anorexia, agrypnia, animi dejectio. Lactabat tunc infantem triginta duarum hebdomadum. Lochia poſt partum non difficilem rite ſucceſſerant. In uteri regione adparebat tumor durus, rotundus, conſtans, dolores lancinantes per intervalla inferens, qui tactu et presſione, itemque corporis motu, exacerbabantur. Nihil interim humorum e vagina profluebat An duri-

durities ſimplex, dolorum expers, praeceſsisſet, dicere non poterat. Infans valde debilis et emaciatus erat. Mandabam, ut hunc ablactaret, ab omnibus cibis acidis, acribus, ſalſis, abſtineret, hordei, avenae et oryzae juſculis, in primiſque lacte, veſceretur, vinum et cereviſiam vitaret, eorumque loco decoctum totius althaeae cum melle, vel infuſum herbae malvae cum ſambuci et tiliae floribus, admixto lacte, biberet. Quumque non dubitarem, quin uteri ſcirrho exulcerato, ſive carcinomate occulto, laboraret, pilulas, ex ſolo extracto cicutae Vindobonenſi paratas, exhibebam. Primo ſtatim die ſumebat grana ſex, altero decem, tertio quindecim. Dolor mire tranquillatus jam erat, ſed magna ichoris tenuis, virideſcentis, copia ex vagina emanare coeperat. Quarto die deglutiebat extracti cicutae ſcrupulum integrum, quinto grana viginti quinque, ſexto, ſeptimo et octavo totidem. Dolor nunc omnis erat ſublatus. Vires, adpetitus, ſomni beneficium, paullatim redierant. Magis colorata erat facies, hilarior animus. Materia, ex vagina profluens, ſenſim evadebat parcior, ſpiſſior, albidior. Tumor in regione uteri, mollis jam, ad

tactum

tactum nihil dolens, ultra dimidiam ſui partem decreverat. Nono die dabam potiunculam catharticam, ex manna calabrina et ſale anglicano, in lactis ſero ſolutis, confectam, quae quinquies alvum blandiſſime ſubduxit. Decimo die imperabam, ut pilularum drachmam dimidiam ſingulis diebus caperet, idque ad eum uſque finem faceret, dum tumor iſte penitus evanuiſſet, nihilque amplius e vagina exſtillaret. Duodeviceſimo die ad me rediens, ſe penitus jam ſanatam, tam bene habere dicebat, ut per omnem vitam melius umquam habuiſſe non recordetur.

Conſulto ſcripſi, me *extracto cicutae Vindobonenſi* uſum eſſe. Id enim, quod in noſtris oris paratur, Medicos et aegrotos ſaepius deſtituit. Exacte ad normam, ab Ill. Archiatro STOERCKIO praeſcriptam, quot annis illud conficit dexterrimus Haganorum pharmacopoeus, HERMANNUS LIPPERT, *FILIUS*, quod ipſum aliquando, quum Vindobonenſe mihi non amplius ſuppeteret, adhibui, non quidem cum nullo, at ſine exoptato tamen et ſperato effectu. In levioribus malis bene ſe geſſit, ſed duae interdum drachmae per diem fuerunt exhibendae. Gallici

ex-

extracti inertiam pariter adcuſat Ill. BOISSIER de SAUVAGES a) *nullum adhuc dum ejus fuiſſe ſucceſſum*, referens. De Suevico idem teſtatur Vir eruditisſimus, plurimiſque nominibus aetatem mihi devenerandus, D. FERDINANDUS CHRISTOPHORUS OETINGERUS, in Univerſitate Tubingenſi Medicinae Profeſſor celebratiſſimus, in litteris amantisſimis, ad me datis, ita ſcribens: *De cicutae extracto idem, quod tu, expertus, Viennenſe extractum mihi comparare cogor, ſi effectum aliquem certum opto. Et haec eſt ratio, cur rariora ſint in his terris experimenta* b) Unde hoc pendeat, deter-

a) *Noſolog. method. Tom. III. Part. II. pag.* 527.

b) Sequuntur in iiſdem litteris adhuc qaedam de cicutae extracto, quae, quamquam huc proxime non ſpectant, tamen heic legi digna viſum iri confido. Ita vero pergit Vir candidiſſimus: *Ab Illuſtri* STOERCKIO *accepi humaniſſimas litteras, in quibus occaſione variorum morborum Perſonarum quarumdam Sereniſſimarum atque Illuſtrium ſua mecum communicavit conſilia. Inter alia illam te celare non poſſum ſequentem formulam, qua extracti cicutae et ſaponis veneti ana drachmam unam et dimidiam inter ſe miſcet, ad-*

terminare non audeo. Interim a climatum diverſitate veri ſatis ſimiliter id derivare mihi viſus eſt Cl. SALOMON SCHINZIUS in erudita *praefatione*, qua *libellum* STOERCKIANUM *de ſtramonio, hyoſcyamo et aconito*, in linguam teutonicam ab ſe converſum, exornavit.

Quum vero extractum Vindobonenſe in perſanandis quam plurimis morbis, ubi, omnibus aliis remediis fruſtra adhibitis,

ceſſere Magiſtri,
Phillyrides Chiron, Amythaoniuſque Melampus, admirandae prorſus ac divinae virtutis pharmacum eſſe, ex innumeris experimentis, de quorum veritate dubitare velle, nihil aliud eſſet, quam honeſtati et integritati tot ſummorum et probiſſimorum Virorum vim inferre, ſatis abundeque pateat: illud autem, quod alibi paratur, vel minus efficax, vel plane iners, deprehendatur; ac neutrum ulli umquam homini vel tantillum nocuiſſe obſervatum ſit: non poſſum profecto, quin obſtupeſcam, quod nihilo minus reperiantur homunciones improbi, qui Ill. STOERC-

KII

addendo gummi ammoniaci et pilularum Rufi ana drachmam unam, et ſic formando pilulas granorum trium, de quibus omni trihorio binas ferre poſſunt delicatuli.

KII *tentamina frivola*, *artificia peſſima*, *artis ſalutaris opprobria* , *immo venefi-cia*, atque illius imitatores *vulgus profa-num*, *Eumenides furias* , *hominibus vi-tam eripientes* , adpellitare non erubeſ-cant. Admiror vero, et maximo quidem opere admiror generoſum Viri ſummi, ad convicia iſta tacentis, animum , qui ſuo de ſe jure uſurpare poſſit illa SYM-MACHI *c*) verba: *Nullius tam vehe-mens nequitia eſt*, *ut motu meo digna ſit*. Praeclare ſane imitatur illum Sapientum ſapientiſſimum, SOCRATEM, qui, quod PLUTARCHUS *d*) et DIOGENES LAERTIUS *e*) de ipſo memoriae prodi-derunt, ab homine impuro calce impeti-tus, quum ſuos indigne id ferre ac freme-re videret, *quid ergo*, inquit, *an*, *ſi me aſinus calcitraſſet*, *ei viciſſim calcem im-pingerem*? Ceterum equidem haudquaquam dubito , quin vera ſibi auguratus ſit Vir laudatiſſimus, ſuum *de ſtramonio*, *hyoſ-cyamo et aconito libellum* his obſignans verbis: *Licet praeſens ſaeculum fors ſuper-*

cilio-

c) *Lib. VIIII. Epiſt. CV.*
d) *de educat. liber. Cap. XVI.*
e) *in Vit. ipſius Lib. II. pag.* 38. *edit.* ME-NAGIAN.

cilioſo (addo: invidoque et maligno) *oculo noſtros intueatur labores: id nequaquam nos deterreat. Erunt poſteri, qui aequiori animo judicabunt, et meritas nobis agent gratias.* Certe quando diu jam *ſub tenebris et opaca nocte jacebit* ignobilis iſta Zoilorum et Theonum turba,

Illum aget penna, metuente ſolvi,
fama ſuperſtes.

XXVI.

HYPERCATHARSIS HYSTERICA.

Quum omne aegrotorum genus Medicos in exhibendis pharmacis catharticis cautos et circumſpectos eſſe jubeat: tum haud ſcio, an nullum magis, quam feminae, malo hyſterico laborantes. Vel mitiſſima enim in iis perſaepe non tantum atrociſſimos dolores colicos, ſed violentiſſimas etiam hypercatharſes, provocant. Aliquas hujus rei a me factas obſervationes in medium proferam.

Praeſcripſeram mulieris hyſtericae marito pulverem catharticum, mihi valde familiarem, ex radicis jalappae granis viginti quinque et cremoris tartari ſcrupulo dimidio

midio conſtantem. Is quum ſatis commode inde purgatus eſſet, uxori, de alvo conſtipata querenti, auctor fuit, ut eumdem ſumeret. Sumſit eum aliquot diebus poſt, ex eodem pharmacopolio petitum, ſine ulla nauſea: ſed in tantam emeſin ex illo incidit, ut ipſam animam evomitura eſſe videretur. Vehementes etiam vomitus experta eſt alia mulier ab radicis rhabarbari et jalappae, utriuſque granis quindecim, cum rhamni cathartici ſirubo in bolum redactis. Ipſam (quis credat?) mannam, ipſum ſal anglicanum, in feminis hyſtericis hypercatharſeos auctores fuiſſe obſervavi. Dederam mulieri ad alvum, quae per plures dies clauſa fuerat, reſerandam, potionem mihi probatiſſimam, ex mannae calabrinae electae uncia, ſalis anglicani uncia dimidia, nitrique puri ſcrupulo concinnatam, quae duodeviginti dejectiones cum exquiſitis inteſtinorum doloribus concitavit. Alia ſumſerat, mannae et ſalis anglicani, utriuſque drachmas ſex, aqua ſtillaticia ſeminum foeniculi in potiunculae formam redactas, atque inde ter ἄνω, et decies ter κάτω non ſine virium jactura purgata eſt.

Rationem harum hypercatharſium non ſitam eſſe in pharmacorum adhibitorum vi

cathartica nimia, in propatulo eſt. De mannae, ſalis anglicani, et rhabarbari innocentia nemo, opinor, dubitat. Omnes uno ore Medici inter tutiora et blandiora remedia cathartica primum iis adſignant locum. Solam jalappae radicem a quibuſdam ad purgantia non tutiſſima referri video. Ita JOH. JACOBUS HARDERUS *a*), non incelebris aetatis ſuae Medicus, *mirari ſe* ſcribit, *pulverem ejus a quibuſdam ſaepius exhiberi, ceu hydragogum, ad ſeroſitates evacuandas utiliſſimum et aptiſſimum: notaſſe ſe tamen dejectiones creberrimas inde ſubortas cum ſiti.* Immo ſummus FRIDERICUS HOFFMANNUS *b*) *noſſe ſe* ait *exemplum, quod viro quadraginta annorum ſcabioſo pulveris jalappae ſcrupulus cum cremoris tartari ſcrupulo dimidio fuerit exhibitus: eodem mane, quo adſumſerit, mortem ſubſecutam eſſe.* Sat gravia vero crimina! Sed facile depelli poſſunt. Hiſtoria viri ſcabioſi, ut ab hac exordiar, manca eſt, neceſſariaeque res circumſtan-

a) *Obſervat. anatom. pract. pag.* 268.
b) *Diſp. de purgantibus fortioribus, ex praxi medica eſiciendis. Hal. Magd.* 1703. *hab.* §. *VI.*

ſtantes in ea deſiderantur. Nihil igitur probat. Quoties et quam facile his in rebus committitur, quam logici vocant, fallacia cauſae non cauſae! An feras ita ratiocinantem: *Sempronius heſterno mane nicotianae fumum ſuxit. Eodem obiit. Ergo a nicotiana exſtinctus eſt.* Vide, an radicis jalappae vis perniciosa non ſimili adſtruatur ratiocinio Equidem, ſi conjecturae locus detur, putaverim, virum iſtum, ſcabiei pertaeſum, unguento aliquo antipſorico ſeſe perfricuiſſe, et, male inde ſe habentem, pharmacum catharticum petiiſſe, adeoque illud potius, quam hoc, necis auctorem eſſe cenſendum Ab improvido enim atque intempeſtivo unguentorum iſtorum uſu, tum alia mala, tum ſubitaneas etiam mortes, non raro provocari, quis neſcit? Sed quid multa? Ipſum HOFFMANNUM hiſtoria illa non prohibuit quo minus ſub finem citatae diſputationis inter ſelectiora ac tutiora remedia cathartica jalappae radicem numeraret. Nihil etiam ad probandam vim radicis jalappae noxiam valent ſiniſtri illi effectus, ab HARDERO adnotati. Potuit enim non ſuo tempore, non ſua doſi, exhiberi. Potuit, quod perfrequenter fieri expertus

novi, aliis radicibus draſticis adulterata eſſe. Genuina radix, congrua doſi aptoque tempore exhibita, tantum abeſt, ut umquam deterioris notae ſymptoma excitaſſe a me ſit obſervata, ut potius frequentiſſimo ac prope quotidiano illius uſu plane exploratum atque compertum habeam, eam optimum eſſe et tutiſſimum remedium, quod ipſis tenellis infantibus ſine noxae alicujus metu praeberi posſit. Si quid illi cum aliqua veriſpecie opponi queat, id fortasſis eſt, quod doſin ipſius exacte determinare non liceat, quum aliae radices plus reſinae, aliae minus, contineant. Sed primum non eſt, quod metuas, ne pharmacopoei valde reſinoſas radices in pulverem redigant. Scio enim, has ſollicite ab iis ſeligi, atque ad eſſentiam et reſinam jalappae praeparandam adhiberi. Deinde ſatis etiam reſinoſae radicis doſin, ſcrupulo vel drachma dimidia haud majorem, nihil umquam nocuiſſe, centies expertus ſum.

Poſita ſtabilitaque remediorum adhibitorum innocentia, neceſſario conſequitur, ut ratio iſtarum hypercatharſium in ipſis aegrotis quaerenda ſit. Tertium enim nihil eſt. Sed iſtud jam demonſtremus. Omnia cathartica vi ſtimuli, membranis inteſtinorum ad-

pli-

plicati, agere certum eſt. Sine ſtimulo enim velociores et validiores illae conſtrictiones, copioſiorem mucum, excrementa alvina diluentem, exprimentes, auctiorque motus periſtalticus, ea per anum extrudens, intelligi nequeunt. Unius autem ejuſdemque ſtimuli in diverſa corpora non eamdem, ſed diverſam, eſſe actionem, experientia teſtatur. Idem emeticum, pluribus ejuſdem aetatis et ſexus hominibus aequali doſi eodemque tempore exhibitum, non eoſdem in omnibus, ſed valde diſcrepantes, edit effectus. Alii quippe large, alii parce inde vomunt, alii nauſeam ſentiunt moleſtiſſimam, vomitum vero, anxie etiam deſideratum, nulla arte provocare poſſunt, alii denique ne nauſeam quidem, multo minus emeſin, ſed catharſin dumtaxat, experiuntur. Eadem eſt catharticorum, ſimilibus conditionibus exhibitorum, ratio. Alii quippe nulla omnino catharſi, alii blanda, alii violenta, alii denique catharſeos loco emeſi plane inde adficiuntur. Praebuerat aliquando laudatus HOFFMANNUS *c*) non nullis Auditorum ſuorum

c) Vid. ejus *Diſp. de cognoſcenda corporis humani natura ex effectu remediorum.* 1732. *hab.* §. *XVII.*

rum ſalis, ex aqua cujuſdam fontis excocti, amaricante et nitroſo ſapore praediti, doſin, ut ſuis ipſorum corporibus virtutem illius laxantem explorarent. Quaerens poſtmodum ex ſingulis ejus effectus, diverſiſſimos fuiſſe reperit. Aliis quippe bis, aliis crebrius, aperuerat alvum, et quidem vel cum, vel ſine torminibus. Non nulli, adſumto illo magnam, alii exiguam, alii nullam prorſus, ſenſerant refrigerationem. Idem *d*) alio tempore regio juſſu pueris quibuſdam, ejuſdem fere aetatis, eodemque et vitae et victus genere educatis verno tempore infuſum quoddam laxans praeſcripſerat, ubi pariter ex collatis relationibus maxima effectuum differentia adparuit. Quod ſi jam in rationem horum phaenomenorum inquiramus, nullam inveniemus aliam, quam diverſam corporum ſenſibilitatem. Haec enim eſt conditio illa, ſine qua effectus in corpore, in quod ſtimulus agit, edi non poteſt. Prout igitur ſenſibilitas corporum vel major, vel minor eſt, ferociores etiam mitioreſve ſtimulorum, ipſis admotorum, effectus conſequi, neceſſe eſt. Jam vero, poſtquam antiquiorum de utero, abſoluto unicoque mali hy-

d) Vid. *Diſp. cit.* §. *XVI.*

hyſterici auctore, opinio merito exploſa eſt, proximum ejus principium nimiam ſenſibilitatem eſſe, omnes fere doctiores Medici hodie conſentiunt: idque re vera etiam ita ſe habere, ejus ſymptomata, ab Ill. TISSOTO *e*) pereleganter ex hoc fonte derivata, ſatis abundeque comprobant. Quibus poſitis, nemini, puto, adeo mirum videri debet, quod leniſſimi etiam ſtimuli in mulierum hyſtericarum corporibus tantas turbas concitent, et mitiſſimi ingenii cathartica, ab ipſis hauſta, tam facile hypercatharticorum naturam induant.

Eadem vero feminarum hyſtericarum hyperaeſtheſis illas quoque hypercatharſes, in ipſis provocatas, admodum periculoſas reddit. Quum enim propter illam ad convulſiones per ſe jam proclives ſint; has autem in ſaniſſimis etiam corporibus a nimia humorum profuſione concitari experiamur: dubitari profecto non poteſt, quin hae ipſae illis, ultra modum purgatis, accidere facillime queant. Sed hoc ipſum convulſionum genus, quod HIPPOCRATES *f*)

e) *Diſcours préliminaire ſur la diſſertation ſur les parties irritables et ſenſibles des animaux par Mr. de* HALLER. *pag.* 26. *ſuiv.*

TES *f*), adcuratus et ſollers ille Obſervator, jam malum pronuntiavit, ſi quod aliud, ſat cito mortiferum eſſe, numeroſiſſimis conſtat obſervationibus. Omnem igitur mulierem hyſtericarum hypercatharſin quam maxime metuendam eſſe, res ipſa loquitur.

Ex iis, quae hactenus diſputavi, facile perſpicitur, ſummae neceſſitatis eſſe, ut velociſſima huic malo adferatur medela. Unde vero illa eſt depromenda? Parum auxilii ſperare heic licet a remediis oleoſis, demulcentibus, hypercatharſium et hyperemeſium, a veneno acri excitatarum, antidotis. Nec multum proderunt ſpirituoſa, quibus, ut proxima Obſervatione oſtendam, in ſiſtenda hypercatharſi, a purgantibus vegetalibus draſticis enata, nihil eſt praeſtantius. Neque enim in feminis hyſtericis, nimium purgatis, materia adeſt, quae

f) *Sect. V. Aph. IIII.* Ἐπὶ ὑπερκαθάρσει σπασμὸς, ἢ λυγμὸς ἐπιγινόμενος, κακόν.
Purgatus nimium, ſi quis convellitur artus,
Singultitue illum certa pericla manent.
Et *Sect. VII. Aph. XXV.* Ἐκ φαρμακοποσίης σπασμὸς, θανατῶδες.
Ex medicamenti potu convulſio nata
Significat ſummam non procul eſſe diem.

quae ſui correctionem poſtulet. Adſtringentia etiam, adverſus hypercatharſes a pleriſque commendari adhiberique ſolita, non ita pulchro cum ſucceſſu uſurpaveris. Neque enim, cui ſoli congrue opponuntur, laxitas heic peccat. Propria, huc in auxilium vocanda remedia, ea tantum ſunt, quae motum et ſenſum villorum inteſtinalium minuunt. Opiata igitur, quibus omnis hyperaeſtheſis promtisſime imminuitur, hypercatharſeos hyſtericae ſumma et praeſentisſima erunt remedia. Sublato enim principio, motus effrenes determinante, hos ipſos, atque morbum, ab iis effectum, ceſſare neceſſe eſt. Eximie profuiſſe vidi potionem, ex aquae ſtillaticiae florum ſambuci unciis octo, laudani liquidi Sydenhamiani gutulis quadraginta, et ſirubi papaveris erratici ſequiuncia concinnatam, cujus vix dimidia parte abſumta, pacata et tranquillata fuerunt omnia. Alio tempore etiam celerem felicemque effectum a drachmis duabus theriacae venetae, in aqua ſtillaticia cinnamomi vinoſa diſſolutae, editum obſervavi. Quod ſi hypercatharſeos loco oriatur, vel ei conjungatur, emeſis, opiata quidem pharmaca pariter conducunt, ſed formam illorum mutari oportet.

Niſi enim tam minuto exhibeantur volumine, ut ventriculum levisſime tantum imbuant, hujus convulſione prius plerumque rejectantur, quam contactu ſuo in illum agere, motumque ejus praeternaturalem ſedare posſint. Ibi igitur praeclarisſime ſe gerit opium ſimplex, vel laudanum opiatum, in pilulam tornatum Serio autem monendae ſunt aegrotae, ut, quum primum iſtam deglutiverint, exquiſitisſimae corporis quieti ſtudeant. Vel levisſimo enim motu emeſis recrudeſcit, et ſumti remedii effectus vel minus ſufficiens, vel plane inanis, redditur.

Paucis adhuc ſubjungam, quo pacto hypercatharſes illas praepedire liceat. Duobus modis id obtinui. Vnus hic fuit, ut remedio carthartico non nihil opii admiſcerem, quod ventriculi atque inteſtinorum ſenſibilitatem nimiam quadamtenus obtunderet. Succesſit in quibuſdam bellisſime, ſed in aliis ex eadem, eidem carthartico admixta, opii doſi hyperaeſtheſin illam vel non ſatis, vel juſto plus, imminutam deprehendi, Quare de alia, eaque certiore, methodo cogitare occoepi. Expertus autem, tartarum emeticum ſine ulla hyperemeſeos formidine exhiberi poſſe, ſi quae neceſſaria videatur illius doſis, in aqua ſolvatur,

ſo-

ſolutaque partitis vicibus exhibeatur, eumdem exhibendi modum in catharticis pari cum ſucceſſu adhibitum iri non dubitavi. Quando itaque mulieres hyſtericae purgandae fuerunt, juſtam mitioris alicujus medicamenti cathartici, in formam liquidam redacti, doſin ipſis praebui, monens, ut quantum ejus duo caperent cochlearia, quarta quaque horae parte ſumerent, dum effectus voto reſpondere coepiſſet. Atque hac ratione nihil amplius hypercatharſeos in iis provocatum vidi.

XXVII.

CITA, TUTA ET JUCUNDA CATHARTICORUM VEGETABILIUM DRASTICORUM ANTIDOTUS.

Occaſionem adhibendae hujus antidoti mihi dedit obſervatio, quam inter alias, notatu digniores, mecum olim communicavit, quem ſupra jam laudavi, Cl. DIEZIUS. Cujus ſumma haec eſt: Superiori bello, quum S. R. I. exercitus in ſtativis apud Zvvickaviam in Saxonia magna pabuli inopia laboraret, equos teneriori-bus arborum reſiniferarum frondibus, quas ſil-

ſilvae vicinae ſuppeditabant, alere cogebatur. Accidebat autem, ut brevi plurimi equi vel aegrotarent, vel plane interirent. Cl. DIEZIUS, Medici caſtrenſis munere tum fungens, de cauſa iſtius calamitatis curioſius anquirendo, eam non aliunde, quam a deglutita reſina, ventriculi atque inteſtinorum membranae villoſae tenacius adhaereſcente, derivandam, optimumque ea propter praeſidium in liquoribus ſpirituoſis, coagula reſinoſa diſſolventibus, quaerendum eſſe judicabat. Jubebat igitur equis cum potu ſpiritum frumenti præberi: cujus etiam uſus tam ſalutaris reperiebatur, ut non tantum ſani a morbo defenderentur, verum etiam aegrotantes ex eo convaleſcerent.

Admodum mihi placebat haec obſervatio, ſtatimque de illa ad majores uſus transferenda cogitabam. Paullo poſt, ad detegendam genuinam catharticorum vegetabilium, pro pernicioſis vulgo habitorum, indolem, complura, de quibus alio tempore referam, inſtituebam experimenta. Diſcebam ex iis, vim illorum draſticam ex ſola reſinoſa ipſorum ſubſtantia, a menſtruis gaſtricis et entericis non ſatis diſſoluta,

ta, pendere. Sine fallacia igitur concludere poſſe mihi videbar, liquores ſpirituoſos adverſus catharticorum iſtorum noxas, gaſtritide, vel enteritide, non dum praeſentibus, remedia fore longe utiliſſima. Brevi hanc illorum virtutem experiundi ſeſe offerebat occaſio.

Vir quidam robuſtus, a tonſore cognato catharticum aliquod validius petens, acceperat pulverem, ex reſinae jalappae et ſcammonii, utriuſque granis duodecim conflatum. Sumebat eum hora ſexta matutina, ſed non multo poſt roſiones acutiores in abdomine perſentiſcebat, ad quas mitigandas, vireſque pharmaci promovendas, copioſum infuſum foliorum theae bibebat. Fruſtra. Neque enim modo non movebatur alvus, ſed iſtae etiam roſiones in dirisſimos cruciatus increſcebant, quibus varia quidem ex ſeplaſia ſua opponebat tonſor, ſed ſine ullo eorum levamento. A prandio in auxilium vocor. Alvus adhuc clauſa, tantaque dolorum erat vehementia, ut aegrotus vix ſuae mentis eſſet compos, uxorque et liberi ejulantes praeſentisſimam mortem ad fores eſſe crederent. Intellecto, quale ſumſiſſet pharmacum, liquorem aliquem ſpirituoſum adferri jubebam.

bam. Adferebant ſpiritum vini vulgarem. Hujus duo pocilla ſtatim ab aegroto hauriri imperabam, idque quavis octava horae parte repeti, dum dolores ſatis eſſent conſopiti Prima duo pocilla parum adferebant levaminis, ſed altera duo vix in ventriculum et inteſtina deſcenderant, quum cruciatus manifeſto remitterent Tertiis ſorbillatis, paullatim in totum fere evaneſcebant, tuncque novem copioſae dejectiones ſeroſae ſuccedebant. Quibus exantlatis, tum ad roborandum ventriculum, tum ad placandas ſpaſmorum reliquias, aegroto juſta theriacae venetae doſis ex vino generoſiori porrigebatur: unde per totam noctem placidiſſime dormiebat, poſtero die perbelle ſe habens, neque aliud magnopere, niſi ſitim, et aliquem ventriculi languorem, conquerens Priori, quae ſoli profuſiori humorum ſeroſorum evacuationi deberi videbatur, lac amygdalinum: poſteriori autem tincturam ſtomachicam, mihi familiariſſimam, ex corticis peruviani, radicis gentianae luteae, herbae millefolii et florum centaurii minoris extractis, in ſalis tartari eſſentialis liquore vinoſo ſolutis, concinnatam, exoptato cum ſucceſſu opponebam.

XXVIII.

XXVIII.

SALICIS ALBÆ CORTEX PERUVIANI ÆMULUS.

Ex quo cortex peruvianus in noſtro terrarum orbe innoteſcere, atque in uſum frequentiorem vocari coepit, non defuerunt Medici, qui id negotii datum ſibi eſſe crediderunt, ut ex arborum indigenarum corticibus aliquem reperirent, quem alienigenae iſti ſubſtituere liceret. Collaudati hoc nomine in primis fuerunt fraxini et hippocaſtani cortices. Utrumque etiam, nominatim priorem, in profligandis febribus intermittentibus optimo cum ſucceſſu tum ab aliis, tum a memet ipſo, uſurpari memini. Sed multo tamen frequentius eoſdem in caſſum adhibitos obſervavi, ita quidem, ut ad peruvianum corticem demum eſſet recurrendum. Nec ignota mihi ſunt exempla, ubi ex illorum uſu plus damni, quam commodi, in aegrotos redundavit.

Nuper in diario medico gallico, quod *Gazette ſalutaire* inſcribitur, ſalicis albae corticem pro peruviani ſuccedaneo valde com-

commendatum legens, ſtatim conſilium cepi, experimenta hanc in rem faciendi. Dedi illum amplius duodecim hominibus utriuſque ſexus, qui febribus intermittentibus laborabant, ſummaque cum animi voluptate eos inde conſecutos vidi effectus, quos ab ipſo cortice peruviano meliores expectare non potuiſſem. In exhibendo eo ubique eadem uſus ſum methodo, quam in peruviano ſervare conſuevi. Dedi ſolum ejus pollinem ſincerum, nulla alia re permixtum, et largiores quidem, easque ſaepius repetendas, doſes imperavi, uſumque remedii, etiam profligata febre, diutule continuari juſſi. Febres autem iſtæ, ne quid diſſimulem, omnes vel quotidianae fuerunt, vel tertianae. In quartana illius efficaciam experiundi occaſio mihi non dum oblata eſt. Nec in remittentibus febribus eo umquam uſus ſum, quum adverſus iſtas remedium aeque ἐυπόριστον, quod ſpem meam numquam ſefellit, in promtu habeam, ſolutionem nempe aluminis vitriolatam, de qua paucis abhinc annis peculiarem diſſertationem academicam edidit doctiſſimus quondam Univerſitatis Gieſſenſis Profeſſor, D. GERHARDUS

DUS ANDREAS MYLLERUS *a*).

Nec vero in ſebribus tantum intermittentibus, verum in aliis etiam morbis, qui cortice peruviano feliciſſime alias debellantur, ſalicis albae cortex virtutem ſuam teſtatam mihi reddidit. Vomitum pituitoſum, per paroxyſmos more febris tertianae revertentem, hac ipſa nullo modo ſe prodente (neque enim oſcitatio aut pan-

a) Quum laudata diſſertatio MYLLERIANA non in omnium verſetur manibus, praeparationem ſolutionis hujus ipſis beati Auctoris verbis heic deſcribam: *Primo ſaturata tibi ad manus ſit ſolutio aluminis in aqua ſimplici, jam refrigerata, et acidum vitriolicum: perinde autem eſt, an vulgari vitrioli ſpiritu, an fortiori, oleo dicto, utaris. Deinde vero aluminis ſolutioni, et quod probe notandum, crebro agitandae, acidum inſtillatur ſenſim ſenſimque, immo ſub finem guttatim, donec ambo exacte miſcentur, atque modo dicta ſolutio dulcem ſuum, ſed et ſimul valde ingratum, immo horridum ſtypticumque ſaporem, maximam quoad partem deponit, ſive, ut conſueta in arte pharmaceutica phraſi utar, ad gratam uſque aciditatem, id eſt, ad aciditatem, ſollerti lingua et ſapore teſtibus, ſuavi aciditati ſucci citri, recenter expreſſi, ſubaequalem.*

pandiculatio umquam praecedebat, nec vrinae latericiae, morborum febricoſorum, a latente febris intermittentis vel remittentis veneno pendentium, indices certiſſimæ, mingebantur) aliis exquiſitioribus remediis fruſtra oppugnatum, ſex illius drachmae, tempore intercalari exhibitae, penitus ſuſtulerunt. Ad lumbricos quoque haud ſemel mire profuiſſe mihi viſus eſt. Nec in roborando ventriculo exſpectationi meae umquam defuit.

XXVIIII.

TUSSIS INFANTUM FERINÆ REMEDIUM.

Hi motus animorum, atque haec certamina tanta,
Pulveris exigui jactu compreſſa quieſcent.

VIRG.

Inter morbos, qui tenellam infantum aetatem prae reliquis infeſtant, perpauci medentibus tantum faceſſere ſolent negotii, quantum tuſſis illa, ob ſuam non tantum vehementiam, ſed et pervicaciam, ferinae nomine digniſſima. Equidem, quamvis ip-

ipſi, quotieſcumque mihi ſeſe obtulerat, omnis generis remedia, a praeſtantisſimis atque expertiſſimis Medicis commendata, ſumma cum cura et ſollicitudine ſemper oppoſuerim: plerumque tamen non, niſi difficillime ac tardisſime, eam expugnavi. Tandem paene fortuito incidi in hoc ipſum, quod jam jam indicaturus ſum, remedium: quo an citius, tutius atque jucundius invenire liceat, vehementer dubito.

Laboraverat tuſſi iſta ferina per compluſculos jam dies puellus bimulus, nimiaque acceſſuum frequentia ac vehementia ad incitas propemodum erat redactus. Varia parentes jam adhibuerant remedia antibechica, ſperma ceti, paſtam althaeae, ſaccharum hordeatum, ſuccum glycyrrhizae condenſatum, althaeaeque et iuiubarum ſirubos: ſed in caſſum omnia. Arcesſitus ſtatim clyſma oleoſum injici, pectuſque et regionem ventriculi litu, ex oleo amygdalarum dulcium et camphora confecto, diligenter perfricari juſſi, praeſcribens ſimul miſturam, ex aquis ſtillaticiis florum tiliae et ſambuci, magneſia alba, nitro puro, et ſirubo papaveris erratici concinnatam, jugiter propinandam. Nulla inde tusſis mitigatio. Poſtridie praeſcripſi ſirubi emetici

Angeli Salae congruam doſin, per intervalla praebendam. Vomuit puellus multam pituitam viſcidam. Tuſſis paullulum mitigari viſa eſt: ſed brevi aeque ferox recruduit. Juſſi clyſma iterari, frictiones continuari, brachioque alteri emplaſtrum melilotinum, pulvere cantharidum conſperſum, adfigi, et praeſcripſi emulſionem paregoricam, ex amygdalis dulcibus et papaveris albi ſeminibus, addito ſirubo diacodion Montani, confectam. Dedit inducias tusſis, ſed minus longinquas, priſtina violentia revertens. Occoepi igitur de alio cogitare remedio. Venit in mentem ſulfur antimonii auratum, cujus eximiam virtutem antiſpasmodicam in aliis morbis ſaepe expertus fueram. Praeſcripſi igitur octo pulviſculos, ſingulos ex granis ſacchari albi duodecim, gummi arabici octo, antimonii diaphoretici non abluti quinque, nitri puri tribus, et ſulfuris antimonii aurati, tertium praecipitati, dimidio conſtantes, imperans, ut tertia quaque hora unum praeberent. Mire inde placata fuit tusſis, nec ferina amplius dici meruit. Iterato remedii uſu plane conticuit. Nullam iſti pulviſculi emeſin, nullam catharſin, ſed ſolam diaphoreſin, provocarunt, quaque ra-

tione

tione haec aucta, ea tusſis imminuta eſt. Odorem exhalatae materiae graviſſimum fuiſſe dixerunt. Sic ergo octo ſulfuris antimonii aurati granis ferociſſima tuſſis evicta, et miſellus aegrotus integrae ſanitati fuit reſtitutus. Aeque celerem ac felicem remedii hujus effectum poſtea in aliis quoque infantibus expertus et miratus ſum.

Niſi omnia me fallunt, luculentam facem praefert haec obſervatio cognoſcendo tusſis illius ferinae principio proximo. Multi laudant virtutem ſulfuris antimonii aurati antiſpaſmodicam, ſed parum ſolliciti ſunt de determinando illo ſpaſmorum genere, in quo potisſimum eam teſtatam reddit, quum tamen dubitari nequeat, quin, ſicut non idem omnium eſt principium, ita etiam non idem omnibus opponi posſit remedium. Ego vero ex multis, iiſque adcurate inſtitutis, obſervationibus didici, ſulfur antimonii auratum ſpecifice quaſi valere contra illos ſpaſmos, quos materia quaedam acris, per cutem eliminanda, excitat. Ab exanthematibus miliaribus, variolis, et rubeolis, vel aegre prodeuntibus, vel a ſumma cute ad partes internas regredientibus, itemque a ſcabie et achoribus, intempeſtiva ac praepoſtera medicatione

repulſis, vehementes plerumque oriuntur ſpaſmi, qui ad ipſas uſque convulſiones adſcendunt. Hos nullo remedio certius atque citius, quam laudato ſulfure, expugnaveris. Vidi exemplum non unum, ubi, omnibus pulveribus, miſturis, et tincturis bezoardicis, immo ipſis cantharidibus, camphora oleiſque cajepoet et animali Dippeliano, efficaciſſimis alias remediis, fruſtra uſurpatis, paucula illius grana, partitis doſibus exhibita, blandam ſine ulla humorum commotione diaphoreſin movendo, atque exanthemata placide ad externam corporis ſuperficiem propellendo, violentisſimas convulſiones, quaſi incantamento quodam, conſopierunt. Quae quum ita ſe habeant, et ſulfur antimonii auratum tuſſem infantum ferinam pariter diaphoreſeos ope ſopiat, neſcio, an haud falſo ſuſpicari liceat, illam a ſimili materia acri excitari. Sed aliud majus eſt, quod id mihi perſuadet, momentum. Tuſſis iſta ferina numquam ſporadica eſt, ſed ſemper epidemica, et ea quidem tempeſtate fere ingruit, qua morbi exanthematici acuti, ut febres, quas vocant, catarrhales petechizantes, ſcarlatina, variolae et rubeolae, graſſantur. Cum duabus poſteri-

ori-

oribus in primis magna ipſi intercedit adfinitas. Saepe enim unius ejuſdemque familiae infantes, alios tuſſi ferina, alios variolis, vel rubeolis, laboraſſe obſervavi. Nec infrequentia ſunt exempla infantum, tuſſi iſta diu multumque diſcruciatorum, variolis, vel rubeolis demum ptodeuntibus, ſtatim ab ea liberatorum. Compluries etiam, variolis et rubeolis male judicatis, vel apotherapia earum neglecta, infantes tuſſi ferina correptos vidi. Taceo alia hujus adfinitatis teſtimonia, alibi de iis ex inſtituto dicturus. Quum igitur, morbos iſtos exanthematicos a materia quadam acri generari, apud omnes in confeſſo ſit, quis eamdem, paullo dumtaxat aliter modificatam, tuſſis infantum ferinae genitricem eſſe dubitet?

XXX.

JUS SUMMORUM MAGISTRATUUM, INSITIONEM VARIOLARUM IMPERANDI.

Amico cuidam meo, qui *novam variolis medendi methodum*, praelo jam paratam, apud me legerat, duriora viſa ſunt, quae §. *I.* ſcripſeram: *Inſitionis*

variolarum introductionem publicam ſperari vix poſſe, niſi a ſummis Magiſtratibus jure ſuo illam imperandi utentibus, parentes vel inviti liberos ſuos ei ſubjicere cogantur. Dubitare ſe dixit, α) *num ſummi Magiſtratus hoc jure gaudeant*, β) *num eo ſine civium injuria ad coactionem uſque uti liceat*, γ) *num variolae ſine ſummo vitae periculo invitis inſeri poſſint.* Non contemnenda eſſe duxi haec dubia, quumque in aliorum quoque animis ſubnaſci poſſe videantur, adverſus illa paucis heic reſpondebo.

Certum eſt, variolas naturales ex natura ſua morbum eſſe periculoſiſſimum, vitaeque humanae infeſtiſſimum. Ex quo ſponte conſequitur, fieri non poſſe, quin ab iis civium multitudo inſigniter imminuatur. Id quod etiam obſervationes, a Viris ſagaciſſimis hanc in rem ſumma cum cura inſtitutae, luculentiſſime commonſtrant. Patet ex iis, valde quam paucos eſſe homines, qui variolas haud nanciſcantur, ita quidem, ut ex viginti quinque vix unus ſingulari hoc beneficio gaudeat. Nunc ponamus rem publicam aliquam, mille civium millibus conſtantem. Ex his quadraginta tantum millia immunitatem a vario-

lis

lis ſibi polliceri poſſunt, reliqua nongenta et ſexaginta millia eas experiri coguntur. Sed eaedem obſervationes docent, ex iis, qui variolis corripiuntur, ad minimum duodecimum quemque fato defungi. Illa igitur res publica a variolis naturalibus ad minimum octoginta civium millibus orbabitur.

Tantum vero abeſt, ut variolae naturales tot mortibus rabiem ſuam exſatient, ut in iis etiam, quorum vitae pepercerunt, haud raro longe triſtisſima ſui relinquant veſtigia. Lubens praetermitto cicatrices illas, formae venuſtatem defoedantes, vel plane deſtruentes. Quamquam enim, ut vere poëta cecinit,

gratior eſt pulchro veniens e corpore virtus:

perparum tamen fortasſis rei publicae intereſt, utrum membra ipſius Narcisſi ſint, an Therſitae, Helenae, an Hecubae, modo bonorum officia civium expleant. At quam maximi, opinor, ejus refert, ut quam minimo membrorum inutilium numero oneretur, qualia omnino ſunt, quae atrophia, tabe, phthiſi, paralyſi, helcoſi, caligine, amauroſi, ſurditate, mutitate, amneſia, moroſi, ſexcentiſque aliis vario-

larum reliquiis, vix aut plane non ſanabilibus, laborant.

Prorſus contraria eſt variolarum artificialium ratio, quas ex natura ſua innocentisſimas eſſe, innumeris, iiſdemque fide plena dignisſimis, conſtat obſervationibus. Per ipſam itaque rei naturam neceſſarium eſt, ut variolarum inſitio immenſam hominum multitudinem, ſine ipſius uſu certisſime interituram, conſervet. Egregie conſentiunt experimenta, in pluribus diverſiſſimiſque terris inſtituta, quae ex centum hominibus, quibus variolae inſitae fuerunt, vix unum deceſſiſſe demonſtrant. Illa itaque res publica, quam naturales variolae ad minimum octoginta civium millibus orbabunt, introductis artificialibus, vix novem millia et ſexcentos amittet, adeoque ad minimum ſeptuaginta millia et quadringentos lucri faciet.

Neque vero ad vitam tantum, ſed ad ſanitatem etiam plurimorum civium conſervandam, variolarum facit inſitio. Peſſima enim iſta, quae variolas naturales ſequuntur, mala certiſſime praecavet, eoque ipſo impedit, ne tot homines per omnem ſæpe vitam rei publicae inutiles atque oneroſi evadant.

Ex iis, quae hactenus diſputavi, facile intel-

intelligitur nexus, quem utriuſque generis variolae cum felicitate rei publicae habent. Inconcuſſae veritatis axioma politicum eſt, populoſiſſimas quaſque res publicas eſſe eaſdem florentisſimas. Certum porro eſt, quo plura membra inutilia alere cogantur, eo plus de felicitate illarum detrahi. Neceſſario itaque id efficitur, ut variolae naturales a promovenda felicitate rei publicae quam maxime ſint alienae, artificialibus autem mirifice cum ea conveniat.

Praeſtructis hiſce, facilis et expedita jam eſt demonſtratio juris, quo ſummi Magiſtratus gaudent, civibus ſuis variolarum inſitionem imperandi. Nemo dubitat, quin praecipuum illorum officium in eo ſit poſitum, ut felicitatem civium omni ratione promoveant, ſummaque cum cura ac ſollicitudine provideant, ne quid detrimenti res publica faciat. Quod ſi vero obligati ſunt ad finem, fieri profecto non poteſt, ut jure careant civibus ſuis ea imperandi, ſine quibus ille obtineri nequit. Sed proxime evictum eſt, ſine variolarum inſitione rem publicam maximis damnis adfici, illius autem beneficio hujus felicitatem non modo conſervari, ſed inſigniter adaugeri. Manifeſtum igitur eſt, ſummis Magiſtratibus

bus jus variolas artificiales imperandi denegari minime poſſe.

Omni juri reſpondet aliorum obligatio. Sine hac enim illud prorſus inutile foret atque ſupervacaneum. Neceſſarium itaque eſt, ut juri ſummorum Magiſtratuum inſitionem variolarum imperandi reſpondere debeat obligatio civium eam admittendi, quae quidem eo major eſt atque validior, quo certius eſt, illam ipſis etiam ſine imperantis juſſu a lege naturali imponi. Quum enim lex naturalis homines ad ſui conſervationem obliget, non poteſt non inde conſequi, ut illos etiam ad omnia ea removenda obliget, quae obtinendo huic fini repugnant. Quae inter quum haud infimo loco ponendae ſint variolae naturales, infenſiſſimae illae vitae ſanitatiſque humanæ hoſtes: adverſus has autem inſitio certiſſimum praeſtet remedium; dubitari profecto nequit, quin ipſa hujus adplicatio officii rationem habeat, quod, ſalva obedientia, legibus naturalibus debita, violari non poteſt. Sine ulla igitur, credo, injuria ſummi Magiſtratus cives, ſi variolas artificiales voluntate admittere noluerint, vi ad eas cogere poterunt.

Neque, quo minus ipſum hoc jus co-

gendi

gendi exerceant, quidquam in iis, quibus inſerendae ſunt variolae, prohibet. Adverſatur heic mihi V. C. CHRISTOPHORUS FRIDERICUS SCHOTTIUS, Theologus et Philoſophus Tubingenſis, in elegante diſſertatione academica, *de eo, quod licitum eſt circa inſitionem variolarum*, ante hos octo annos edita, §. *XVIII.* ita ſcribens: *Non eſt, cur quaeramus, an heic et coactioni ſit locus, quum ipſa rei indoles et natura eam reſpuat, et vel ſolus metus ſufficiat ad ſaluberrimi etiam remedii efficaciam, non minuendam tantum, ſed et abolendam, et in effectus contrarios convertendam.* Non aegre laturum confido Virum aequisſimum, optimeque de ſtudiis meis philoſophicis promeritum, ſi, quouſque haec vera ſint, diſpexero.

Attenti ad mutationes, quae in corpore noſtro organico ex metu contingunt, facile obſervamus, cutem, illud ambientem et contegentem, arctius conſtringi, adeoque vaſorum exhalantium oſcula in diametrum naturali minorem cogi. Fieri hinc non poteſt, quin vitalis humorum motus a peripheria ad centrum invertatur, atque ita perſpiratio non tantum inſigniter perturbetur,

betur, ſed etiam omnino ſufflaminetur. Sed, quo felicius ſuccedat variolarum inſitio, plurimum refert, ut et ante, et poſt illam, cutis ſit relaxata, faciliſque perſpirationis libertas praeſtetur atque conſervetur. Dubium igitur non eſt, quin, metu praeſente, verendum ſit, ne variolae periculoſae, vel plane mortiferae, excitentur. Unde ſponte conſequitur, ut homines, inſitionem variolarum perhorreſcentes, ſine vitae periculo ad eam cogi nequeant.

Quemadmodum vero de adultioribus haec omnino vera ſunt: ita e contrario de infantibus haudquaquam valent. Quum enim metus ex mali alicujus futuri, nobiſcum connexi, repraeſentatione oriatur: infantes autem intellectus et rationis, in perſpicientia nexus rerum conſiſtentis, exercitio ſint deſtituti, eoque ipſo malum aliquod futurum, ut ſecum connexum, ſibi repræſentare nequeant; oppido patet, veri nominis metum in iis exſiſtere non poſſe, adeoque nec ejus effectus, ſiniſtrum inſitioni variolarum eventum minitantes, eſſe pertimeſcendos. Tuto igitur iis, qui in infantia adhuc ſunt conſtituti, vel reluctantibus, inſeri poterunt variolae.

IN-

INDEX

OBSERVATIONUM.

I. Ephelides gravidarum.
II. Naevus maternus, morbos imminentes praeſagiens.
III. Lacuna in JOH. LANGII Epiſtolis medicinalibus expleta.
IIII. Cicutae extractum.
V. Pica gravidarum.
VI. Menſes in vetulis.
VII. Melancholia aſtu ſanata.
VIII. Soloeciſmus litterarius.
VIIII. Sutura cranii ſagittalis.
X. Mala ventriculi conformatio.
XI. Vomitus ex ſcirrho ventriculi.
XII. Sterilitas ex utero calloſo.
XIII. Menſes poſt primum partum demum erumpentes
XIIII. Alvus pigra.
XV. Manus Medicorum.
XVI. Hydarthrus ſynovialis.
XVII. Febris lentae ſanatio fortuita.
XVIII. Variolae ſalutares.
XVIIII. Tumor fungoſus, ſuppuratione ſanatus.

XX.

XX. Colica ex eſu cancrorum fluviatilium.

XXI. Acetum opii antidoton.

XXII Error Medici, ex ignorantia linguae graecae natus.

XXIII Calor et ſudor dimidii corporis.

XXIIII. Corticis peruviani odium.

XXV. Scirrhus uteri exulceratus.

XXVI Hypercatharſis hyſterica.

XXVII. Cita, tuta et jucunda catharticorum vegetabilium draſticorum antidotus.

XXVIII. Salicis albae cortex peruviani aemulus.

XXVIIII. Tuſſis infantum ferinae remedium.

XXX. Jus ſummorum Magiſtratuum, inſitionem variolarum imperandi.

40